















3156
A







BABYLONICA, INDICA, ÆGYPTIA, &c. Philosophiæ primordia:

Auctore

OTTHONE HEVRNIO IOAN. FIL.



Lugduni Batauorum
Apud IOANNEM MAIRE
cIↃ. IↃ. C. XIX.

Illustrißimis & Potentißimis

HOLLAND. & WESTPHR.

ORDINIBVS,

OTTHO HEVRNIVS,

IOANNIS FILIVS,

dedicat consecratq́;.




LIBROS istos, quos DE BARBARORVM PHILOSOPHIA scripsi, vobis dare, dedicare, mihi visum, Illusttissimi ORDINES. Splendor vester me impulit, Fortitudo, Prudẽtia. Splendor inquàm, vt eo qui per vniuersum orbem terrarum se diffudit, splendorem aliquem tenui huic, & per se obscuræ scriptioni concilicm. Fortitudo etiam ORDINES Potentissimi, quâ tot tantasque difficultates, in liberanda à bellorum incendiis Patria superastis, al-

terũ mihi huius dedicationis incitamentum: nimirum vt in augustissimo templo, celeberrimi, ob Bellicam Fortitudinem, nominis vestri, (quod pertinax memoria viribus æternis comprehendet,) hoc meum donarium pendens, Livoris Æuiq; dentem euitet. Excellens vestra denique Prudentia, ORDINES Illustrissimi, audaciæ huius calcar mihi subdidit, vt fulgido nominis Vestri lumine squallidum hoc scriptum circumdare ausim. Vnde enim tenebris lux petenda, inde si nõ petenda: illa enim ea est quæ ob egregia sua in Patriam merita memoriá sæculorum omnium vigebit, quam omnis posteritas laudibus efferet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Nam illa ea est quæ Patriam nostram pernitialibus turbinibus imitùs commotam tranquillavit; quæ Hispanum in prævalidum Reipublicæ nostræ mucronem amentem & cæcum irruentem rejecit. Adeò vt nos omnes vestri subditi, ORDINES Invictissimi, omnia vobis ingenij munera offerre debeamus, tum vt grati animi sint signũ, tum vt à fulgidissimâ vestrâ luce,

famæ,

famæ radio illuminentur. Plurima igitur reverentia vobis oblatum accipete, & vt serenâ fronte excipiatis, oro, hoc vobis quod debetur, ORDINES Potentissimi, munusculum: exiguum quidem, id si spectetur; sed maximum, mei offerentis si animus. Valete ORDINES Potentissimi, ac ad veræ Relligionis tutelam, nostramque salutem, incolumes regnate æternùm.

Ex Academiâ vestrâ Leydâ in Batavis. anna CIↃ. IↃ. C.



* 3 PRÆ-

PRÆLOQVIVM.

PLVTARCHVS *literarum perennitati inseruit, fulgidissimũ Græciæ lumen Themistoclem, socordiæ tenebricosa nebula impeditum hæsisse, donec Miltiadis victoriæ radiis illustratus, eam ineffabili quadam alacritate dificeret. adeò enim eius victoriæ splendor ipsius animum perstrinxit, vt omnes diurnas nocturnásque ipsius cogitationes ad Gloriæ fulgorem traheret. Idem & mihi contingit: tot enim spectans excellentes viros, quos eruditio ad summum Gloriæ culmen euexit, animum meum desiderium subit eorum vestigia præmendi.* Trahimur sanè omnes Gloriæ studio & optimus quisq; maximè Gloria ducitur.* Insidet enim in optimo quoque quædam virtus, quæ noctes & dies animum Gloriæ stimulis concitat atq; admordet. *Et quid quæso* turpius est quàm grandis natu senex, qui nullum

lũ aliud habet argumentum quo se probet diu vixisse, præter ætatem? *Imò quid fœdius; quàm à numero hominum rejici, priusquam à morte deiiciaris:* Vltimum malorum est, ex vivorum numero exire, antequam moriaris. *Verum ille viuendo moritur qui assiduè in otio delitescit, nec quicquã vtile Reipublicæ agit,* (isq. demum mihi vivere, & frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus; præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.) *Quamobrem, id declinans, animum, inquam, meum cupido subit illustrium virorum (qui & viuendo mortem effugerunt, & moriendo æternitatem invenerunt:) vestigia sequendi. Id efficiendi rationem vnicam mihi duntaxat commodam reperio, videlicet scriptionẽ. Etenim varij quidam gradus sunt, per quos in arduam illam Gloriæ arcem scandere liceat, sed non eadem per omnes omnibus ascendendi facilitas. Quidam ad immortalitatem morien-*

do venerunt, & leui temporis impensa invenerunt quomodo æterni fierent. Regulus id & Cato testantur. Aliis per Ciuilia negotia ad eam proclinior aditus. aliis per aliorum, tum voce, tum scriptionē, institutionē. ingenij namque egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. *Exemplis id è profunda antiquitate erutis demonstrare possem, si non nostra in ingentem eorum segetē ingeniosa esset patria. Tot enim in eâ tantosq; coryphæos cernens, varios vides quibus ad excelsa Gloriæ templa ascēditur gradus. Verùm nec omnes omnibus, nec eidem cuilibet aperti sunt. Scriptio enim ab ambitu, & à curis alienis ad eam facilior via; quæ & mihi ideo potissimum, ad Reuerendi* PATRIS *mei imitationem, electa. Neglectim tamen (testor Veritatem!) in primo hoc specimine à me obseruata. Vt enim herbæ quædam sine serentis cura surgunt; ita & hoc in ingenij mei agro opus, dumdiversa succisiuis horis*

Histo-

Historicorum Philoſophorumq́ue ſcripta ruminor. Fuitq́ cura eadem in hoc opere excolendo, quæ in producendo, nimirùm ſecura. Non enim nobis in ipſa ſtudiorum incude poſitis tantum otij, vt in vnius operis cultura totos dies conſumamus. Lyſippum ſtatuæ vnius lineamentis inhærentem inopia extinxit. *Ideoque laborum horum veniam peto, laudem non peto; imò*

Et veniam pro laude peto: laudatus abunde:
Non faſtiditus ſi tibi lector ero.

ORDO *operis hic eſt. Primus liber breviter Philoſohiæ propagationẽ à Mundi principio ad Græcæ vſq; Philoſophiæ exortum tradit, eique* Chaldaici *titulũ dedimus quia primordia Philoſophiæ è Chaldea deducit: huic Sabellici de Artium ac rerũ inuentione Poëma, ob argumenti ſimilitudinem, iungitur. Secundus liber longè lateq́; diffundit, quæ primus arctis ſpatiis includit: id eſt quæ primus*

mus indicat duntaxat, multa oratione explicat, & radijs ex intimis Historiarum recessibus petitis illustrat. Titulo INDICI *insignitur, quia ab eorum Philosophia exorditur. Totius autem operis terminus, principiũ est Diogenis Laërtij. Ita vt qui ab ipsis Mundi natalitijs Philosophiam per omne æuum diffusam cognoscere velit, primum nostrum hoc opus legat, deinde se conuertat ad Diogenem Laërtium eiq; iunctos auctores quos Clarissimus* RAPHELENGIVS *non ita pridem Reipublicæ litterariæ dedit.*

Tu Lector benevole, tuum officiũ esse memineris, quod, sicubi lapsa est inscitia nostra, humano errori hominem te præbere debeas. Equidem,

Scripsimus hæc subito nimis indigesta labore,
Confusumque. Chaos, glomeraramque agmine turbam.
Nec scripta semel, calamo torquere, & de

& de verbis, imò rebus singulis, in iudicium ire aut voluimus, aut ob otij penuriam potuimus. Nec errare turpe, est enim initium Sapientiæ. Insignis poëta Accius, ætate ac ingenio maturo Pacuuio Tragœdiam suam, cui Atreus nomen, cùm Tarenti recitaret, exclamauit Pacuuius; ô canorum scriptum, ac poëtici spiritus magnificentia turgens; verùm,

Carmina nulla probas molli quæ tramite currunt,
Sed quæ per salebras altaque saxa cadunt.

Respondit placidè Accius, id verissimũ esse; ingentiq; ideo se lætitia perfundi, sperare enim se, quod deinceps elaboratiora produceret. Ingenia namque humana eße vti poma, quæ acerbiora fœlicius tempestiuiusque maturescant, molliora citius putrescant. Quare & nobis, si quid minus ad prudentiæ Solem coctum damus condonandum: non enim ex ijs sumus qui perfectißima nos scribere

cen-

censeamus, sed in eorum numero nos ponimus, qui & scribendo proficiunt, & proficiendo scribunt. *Nihil simul & inuentum & absolutum est. Ideoque Lector, candide*, tuæ partes erunt, ea quæ ad huius operis consummationem sunt prætermissa, venia dignari: quæ verò sunt inuenta multa prosequi gratia. Sanè, non mediocres tenebræ in silva vbi hæc captanda: neque eo quo pervenire volumus semitæ tritæ: neque non in tramitibus quædam obiecta quæ euntem retinere possunt. *Hæc ante rem, sed non abs re, monendus mihi fuisti Lector beneuole, ob Aculeonum & in alienis rebus hoc ævo Curionum vbertatem, qui inscitiæ suæ hostorio, vel eruditione stipatissima, radere audent: ad quorum auersionem, auertentia sacra nobiscum facias.*

INVIDIÆ & PALLORI.

CHRI-

CHRISTIANI BRVNINGI

Vltraiectini, I.C.ti

BREVIARIVM BARBARICÆ PHILOSOPHIÆ Antiquitatum OTTHONIS HEVRNI IOANNIS FILI.

H*Aut tantum* Ænæas , *haut tantum claret* Vlysses,
Mæonidæ labor hic, ille Maronis *opus.*
Haut tantum magni Cyrus Xenophontis *amores,*
Cyrus Persiaci *nobile sidus agri* :
Haut tantum facundi audax Catilina Salusti,
Totius vnà ingens Orbis *in* vrbe *malum*;
Quantum Heurni *à prisco per te* Chaldaicus *æuo*
Redditus, *ingenij gloria* Prima *tui.*
Quantum Heurni! *antiquo per te repetitus ab æuo*
Indicus, *ingenij cura* Secunda tui.
Libare ergo tuas meditabar carmine laudes,
Ingenijq́ artes, indiciique modum.
Ecce Promethæos *me dicere versibus ignes,*
Et Sophia *vnde omni floreat orbe iubes.*

Grande

Grande opus & nostris, Heurni, intolerabile Musis:
Alteráque Andini cura poematij.
Non ego tam cæcas temerè mea vota per vndas,
Ingenij cimba præcipitante darem:
Ni tuæ iam certo primùm prætoria cursu
Tuta per ignotas navis iisset aquas.
Ibimus ergo illas puppi leviore per vndas,
Heurniade, auspiciis ibimus ecce tuis.
Principio cœlum ac terras, vastumq́ue profundum,
Æterniq́ue Deus finxerat oris Adam.
Consortem ille thori, desponsu Numinis, Evam
Accipit; atque novo fæmina iuncta viro est.
O dulces thalamos! ô connubialia iura!
Prima salutiferi sanctio lexque Dei!
Ecce novum vetitâ dum libat in arbore pomum,
Iussus Adam in sera est posteritate mori.
Quid moriturus agis? quid agis, crudelis Adame,
Posteritas morsu noxia facta tua est.
Ergo per ignotas tenerâ cum coniuge silvas
Exagitante Dei numine pronus abit:
Hei mihi, quàm lætos meministi condere soles,
Omnis adhuc custos integer orbis Adam:
Tunc primùm duris agere in sudoribus ævum.
Et frustra ingratum sollicitare solum.
Tunc primùm arcanas animum convertere ad artes
Et sensim ingenio liberiore frui.
Iam cœlum inspectare audax, Titaniáque astra,
Et quâ quæque solent ire redire viâ.
Iam virgulta notare, & odoras ire per herbas,
Aut serere artifici grandia poma manu.

O fe-

O felix, Adam, nimium tua si bona nosses,
Cum Paradisiacum perfruerêre nemus!
Quidquid erat vasto, noras, in gurgite ponti:
Quidquid erat cælo, quidquid eratve solo.
Omnia sponte sua, nullo tibi nota labore,
Mulcebant variis pectora deliciis.
Quam facile arcanas rerum tibi reddere causas
Quam facile & rebus nomina quæque suis!
Illa tibi iratum sonti eripit omnia Numen,
O miser! ô nostri causa caputque mali!
Sed bene, quod seros Sophica tamen arte nepotes
Crederis, & natos instituisse rudes.
Quam Sethus, & patriæ non degener Enochus artis
Auxerunt variis, ille, vel ille, modis.
Ingenio Sethus & nulli pietate secundus;
Enochus ignitis vectus in astra iugis.
Mox ea transtulerunt, alij pia turba parentes,
Matthusalem in Lamechum, Lamechus in Noachum.
Noachus illius Dis acceptissimus ævi,
Deucalioneas cum superasset aquas:
Ecce per ingenuas primus caput extulit artes,
Naturæque ingens sollicitavit opus,
Ille tibi ambiguos distinxit nauita ventos
Forsan, & iratas condocefecit aquas.
Ille nouam lenta vitem relegavit in vlmo
Primus, & in molli vina recidit humo.
Noache magne cave, ne te tua munera fallant;
Abstineas avidas, ô pater alme, manus.
Abstineas, pater alme, precor, non hic tibi puræ,
Quas sitiens tuto sumere possis: aquæ.

Hei mihi, purpurea quantum illa fraudis in vua est:
Ebrius ecce sua Noachus *arte iacet.*
Sed benè quod multo incautus semel ille Lyæo
Obrutus, hoc alios abstinuisse iubet.
At bonus aßiduo mentem iam exercitus vsu
Multiplici Chamum *perpolit arte senex.*
Non tua Chuse *minor mox gloria, dum tibi laudes*
Aut monumenta patris nulla fuere satis.
Eximiè acceptas dotes ornauit vterque:
Æmulus ille patris, æmulus alter aui.
Siqua fides scriptorum illo Ter-maximus *auo*
Hermes *Nile tua floruit ortus humo.*
Dicitur & Chusi dictata notasse magistri,
Atque in Chamiaca consenuisse schola.
Tum non disciplina, nitor non vllus habebat
Quos celer inclusos irrigat Ozus agros.
Tum neque Margiadum gentes, neque Sogdia tellus,
Bactra nec incultos exuerant animos.
Omnia squallor erant, & quà Babylonius ibat
Euphrates, & quà Tigris Achæmenius.
Omnia squallor erant, rapido quà Gurgite Ganges
In mare septenas egerit Indus aquas.
Omnis ad Auroram regio, Nabathæaque regna
Horrebant siluis squallidiora suis.
Nobilis Eoo sed postquam illuxit in orbe
Mirandas sparsit mox Zoroaster *opes.*
Ille vel Assyrias Sophiam diffudit in oras,
Ille vel in muros, Niue superbe tuos!
Bactra, ô Bactra illo nimium felicia rege!
O rex Bactriaco maior imperio!

Casca Semiramij quid eratis turba coloni,
  Vestra quid aereæ pondera molis erant?
Squallida & incultis Babylon horrentior aruis,
  Iam tua Dis minitans gloria turris erat.
O lux alba tibi & nineo signanda lapillo
  Qua tua libarunt limina Ninigenæ.
Omnis erat Beli latè Babylonia, Belus
  Ninia sollerti dogmata fouit ope.
Ille antiquorum collegia Chaldæorum
  Instituit, studiis de dita Nine tuis.
Ille aurata viam ingenio tentare per astra,
  Humanumque alta condere nube caput:
Ille tuos seruare boues & plaustra Bootes,
  Inuisásque tibi nauita Vergilias:
Hœdos ille notare graues, & Oriona sæuum,
  Speratásque ibi rustice Pleïadas.
Vnde fatigatis rubeat Diana quadrigis:
  Et quot Phœbæis signa terantur equis.
Vnde sera rubens accendat lumina Vesper,
  Aut agas admissas Lucifer alme rotas.
Omniaque ingentis describere lumina mundi
  Ausus, & æthereo proximus ire Deo.
Auerso captiua Deo iam cuncta gemebat
  Serua Semiramio Iuda sub imperio.
Iam Solymas Nebu-cad-neizar fœdauerat aras
  Impius, & magni templa superba Dei.
Cùm Daniel fatis Babylona abductus iniquis
  Ingenio meruit regius esse puer.
Protinus ille alios inter caput extulit omnes,
  Numine & Assyriis plenior auguriis.

Qualis in Aemathias olim rex, Persa phalanges
Darius Partho dicitur isse iugo.
Et multo spectabilij auro, & iaspide fulva,
Et toto extra omnes agmine conspicuus.
Talis eras magna Nebucadneizaris in aula
O Daniel, Iudae flos & ocelle tuae!
Hinc nova Berosus Chaldaea, ut creditur, artis
Primus in Argolicam semina sparsit humum.
Noscite iam, moneo, mendaces noscite Graij,
Quas fal è vobis adseruistis opes?
Quid nisi barbaries, Phœnicia terra, fuisses,
Quidve tuus Cadmus, quid tuus Hoggus erant.
Divus Agenorias nisi quondam ellapsus in oras
Tharaides sacras prostituisset opes!
Primus Abramaeis sese artibus exornavit
Hog, & Amyntoridas imbuit ipse rudes.
Mox & Atlas, mox & Phœnissa exivit Elisa
In Libyam, profugi finibus, Hogge, tuis.
O quotiens summa pernox in rupe resedit,
Vt Lunam & cœli sidera, nosset, Atlas!
Dicitur hinc (toto notissima fabula mundo)
Ipsa humeris Atlas astra subisse suis.
Inde iturum Phœnix Arginas exsul in urbes
Cadmus Abramaeas transtulit, Hogge, scholas.
Mox ubi Parrhasia est tellure exactus Evander,
Italis Arcadios excipit ora lares.
Munera secum Arcas latè Cadmeia traxit:
Et vino Ausoniam flumine lavit Opem.
Barbara sordebant illo tua Tiberis aevo
Arva, nec Oenotrij fama erat ulla soli.

O vbi tunc orbis domina vrbs, gentesque togatæ,
Nil nisi campus eras, & rude, Roma, solum.
Quid tua, pyramides, quid erant miracula, Memphi,
Quidue tuus Nilus, quidve Canopus erant.
Quid tibi tunc Isis, quid proderat almus Osiris,
Et sculpta in varios numina vana modos.
Horrida & omnis eras exsors, Aegypte, nitoris,
Antè parens quam te magnus inivit Abram.
Pigmalionæis solvens de finibus Abram
Dilegit sedes, barbara Memphi, tuas.
Ille tibi ignotos Studiorum dicitur vsus
Monstrasse, & variis ire per astra viis.
Singula quid referam, nil non laudabile primus
Ille Sacerdotes edocuisse tuos.
Clara tuo de fonte Rhodos mox hausit: & Ion
Mollis, & Iliaco cum Phryge Maeon iners.
Tuque iterum imbuta es, longo tamen intervallo,
Terra Paraetonijs Græcia dogmatibus.
Hoc Cecrops, Danausque, & multa Epidaurius arte
Egere, Inachio nomina grata solo.
Thracius hoc Orpheus, Lacedæmoniusq; Lycurgus,
Nobilis ille foro, nobilis ille lyra.
Atticus hoc Solon: Samijq; hoc ruris alumnus
Pythagoras: Plato hoc egit Aristonides.
Non minor Amramidæ debetur gratia Mosche,
Auctori Sophiæ, barbara Cana, tuæ.
Altera Pythagoræ; magnoque corona Platoni
Danda, Cananæis texta corona rosis.
Magne Plato quid dissimulas sanctissima Mosis
Trita Cananæo scripta tibi hospitio.

Iſte quidem Graias ſolum formavit Athenas,
Ille etiam mores Auſonis ora tuos.
Regna prius quam ſiſto iterum Babylonia verſus
Noſtra ſuum retro cymba recurret iter.
Ergo Semiramiæ quando iam gloria gentis,
Fractaque Niniaci vis erat imperij:
Priſca Maraſſæis admiſſa ſcientia terris
Sub veſtris cœpit legibus eſſe Magi.
Hic Tithon altos inter nitidiſsimus omnes,
Nec Tithone minor tu patre Memnon eras.
Quam ſæpe aëriis errantem in montibus illum
Diva retardatis vidit Eoa rotis.
Quam ſæpe & ſeris deprenſum veſper in vmbris
Lenta tibi ſolum Cynthia deſtituit.
Inter vterque Deos abiit cum Memnone Tithon,
Ille vir Eoæ, filius ille Deæ.
Carminis hinc primos Ææi, artiſque neſandæ
Ordiar auctores dicere, Muſa fave.
Muſa fave, extremo en opus hoc in fine laborat,
Detextum tenui carmine, Muſa fave.
Theſſala Zarades cantavit carmina primus,
Et Stygiâ innocuos polluit arte Magos.
Ille laborantis deduxit cornua Lunæ
Primus, & ille tuos Phœbe retorſit equos.
Ille vel in ſudo procedere nubila cœlo,
Fulgere vel puro iuſsit in orbe diem.
Ille quieſcentes erexit protinus vndas,
Ille ſuum verſas in caput egit aquas.
Cum voluit tacitæ frondentia robora ſilvæ,
Vivaque ſaxa ſuis exſiliere locis.


Cum

Cum voluit trepidis subitò de nubibus imber
Pallida sanguineis gramina lavit aquis.
Ille nouo Stygios eduxit carmine Manes
Primus, & arcanam sollicitauit humum.
O scelus! humano tibi prima cruore natauit
Ara, sed ara tuo digna cruore fuit.
Mox & in Arsacias admissus Apuscorus oras
Corrupit gentem, mitis Amarde, tuam.
Quæ Zarade tibi tellus satis ima dehiscat
Improbe, qui Medi pars quoque magna mali.
Ecce Magas ultro Babylon iam degener artes
Marmaridi vestra sed tamen hausit ope.
Hei mihi quin sacrum Zarmocenidan caput istis
Assyriaô tellus finibus ire iubes!
Ille tuum Herculeis Gorgum reuocabit ab aris,
Ille tuum Zagri sistet in arce Caprum.
Ille Tigrin refluum tua Nine in mœnia vertet,
Cantataque tuos messe leuabit agros.
Mollis Arabs teneros legeret securus odores,
Thuraque non vllo mixta timore daret:
Hippocus infanda nimium versatus in arte,
Si modo Nisæis abstinuisset agris.
Quin tibi Mede sat est miseros vicisse Pelasgos
Xerxe, quid huc artes inuehis Osthanicas?
Osthane, Graia lues, quid vel tibi Xerxis in armis,
Quid vel in Argolicis, Osthane, Graia lues;
Quid faciam Italicos abit hæc quoque pestis in agros,
Finibus eximiè noxia Tusce tuis.
Heu, quid anus Vmbræ, quid non valuere Pelignæ!
Heu quod fata malis concita carminibus.

Candida væ nigris nimium vicina Latinis
  Gallia, & ipsa novis ignibus icta iacet.
Ecce tuas iterum hîc Zarade litatur ad aras,
  Laxaque non una vimina cæde flagrant.
Hæsit in occiduis eadem quoque noxa Britannis,
  Noxa tamen Druidis debita, Galle, tuis.
Illa sed hinc Gallas item grassata per oras
  Vrbis ad Ausonia mœnia nota redit.
Frustra ô Roma tuis iterum de finibus acti,
  Qui tamen haud quidquam commeruere, Sophi.
Ferrem, si magicas armis aut legibus artes
  Hinc Titus, inde parens Vespasianus agant.
Aspice ut insano demens Elagabalus æstu
  Ambit ab extremis hæc sacra littoribus.
O magnum Aeæ decus artis, dedecus orbis
  Maius! o Romæ noxa luesque tuæ!
Flexit in hanc, nequid sceleri superesset, arenam,
  Christigenum clades maxima Iulianus,
Heu, funesta nimis miseræ duo sidera Romæ,
  Sub quibus imperii fracta ratis Latii est:
Hactenus ecce tuo sulcauimus æquora ductu
  Nostraque promissum cymba peregit iter.
Magne iuuentutis princeps, spes altera Leydæ,
  Nulla sat in laudes Musa diserta tuas.
Ecce legis magni vestigia nota Parentis:
  Quaque Ille, hac ipsa surgis ad astra viâ.
O te felicem tanti genitoris! & o te
  Felicem hac tali maxime Stirpe parens.
Si non Pieriis olim quibus ignibus arsi
  Destituar, Musa vos grauiore canam,

Interea tenuem non auersatus honorem
Heurniade, *hæc hilari carmina fronte leges.*
Iamque vale nostrique vllo non immemor æuo,
Macte, Heurni, *patrio nomine, macte tuo!*

OTTHO



OTTHONIS HEVRNI, IOANNIS F. BARBARICÆ

Philoſophiæ Antiquitatum LIBER PRIMVS, qui & CHALDAICVS inſcribitur.

SINE *principio rerum principium Deus, creatis conditíſque cunctis quæ immutabili lege naturæ perenníque concordi diſcordiâ, continentur, nihil ad pulcherrimi operis perfectionem, mundiq́ꝫ* mundum* *id eſt ornatum.* *deſiderari vidit, quàm ſi quid mixtum ex cæleſti æternitate, caducaq́ꝫ fragilitate mundanâ, veluti ſpeculum rerum perennitate donatarum interituíque obnoxiarum, adiiceretur. Etenim quæcunqꝫ cæleſtis natura inuiolato gremio amplectitur, nullâ mutationis varietate deformantur, verùm indelibata æternitate*

perfruuntur. At corpora cuncta, Lunæ cursibus circumscripta, abeunt in nascendi pereundique fatalem gyrum. quare mixtum ex vtrisque vt fieret, amborum nexus requirebatur. Animam igitur rationalem ex ipso perennitatis gremio decerptam, æternitatisq; nectare rigatam, produxit; ac huic aptum domicilium corpus ex mutabili elementorum consonantia finxit.

Verùm cùm vtraque hæc, anima & corpus, extimâ contrarietate, videlicet immortalitate mortalitatéque distarent, ad eorum societatem & harmoniam medio vtrique consentaneo opus erat. Vinculum ergo eiusmodi desiderabatur, quod nec totum æternitatem immortalitatémque spiraret, nec planè in interitum mutationémque inclinaret. Spiritum igitur vitalem è purissimâ sanguinis parte fabricatus est, eúmq; in auræ tenuissimæ substantiam mutatum, calore solari & reliquorum astrorum vi perfudit; atque ei, cùm elementorum mutabilitate corpori concordaret, nec ab animi perpetuitate dissentiret, (quippe cùm perenni cælesti vi rigaretur.) animum vt corpori iungeret, eiúsque iussibus obediret, imperauit.

Hæc igitur diuersissimarum rerum consonantia, omnium quæ naturæ vi imperióque continentur, principem hominem, constituit,

Polician. in Nutriciis.

——— qui in æthera ferret
Sublimis oculos, qui mentis acumine totum
Naturæ lustraret opus, causásque latentes
Eliceret rerum, & summum deprenderet æui

Artificem, nutu terras, maria, astra regentem;
Qui fretum ratione animi, substern[illegible] et vni
Cuncta sibi, ac vindex pecudum d[illegible] nitorque
ferarum
Posset, ab ignauo senium defendere mundo

O homo audacis naturæ miraculum! in te sese natura immergens, miraculum produxit quod omnium miraculorum admirationem vincit. *in te enim cælum terra, æternitas mortalitati iuncta cernitur: nihilque aliud es quàm diuina quædam mens terrenis vinculis alligata*, parsque diuini spiritus corpori immersa. *vt veritatis linguâ Ethnicus ille canat;* Zoroaster. Trismegist. in Pimād. Pythagoras. Seneca.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli. Ouid.

Et ab eadem mente Pietatis Musarúmque alumnus Picus: homini, *inquit*, mancipantur terrestria, homini fauent cælestia, quia & cælestium & terrestrium est vinculum, ac nodus. *In te igitur, ô homo, æternitatis particula fragilitati humanæ immersa latet. Hac fultus* in cælum ascendis illudque metiris, cognoscis quæ ima sunt, quæ summa, & reliqua omnia diligenter inquiris: quodq́. caput est, terram haud relinquens, in cælum attolleris, tam ampla tuæ naturæ est potestas. Quare audendum est dicere Hominem Deum terrenū esse, Deum verò cælestem hominem immortalē. *Cùm igitur tam excellens natura tua sit, ô homo, fierine potest, vt diuinæ ac potissimæ tuæ partis immemor, in volutabro rerum humanarum* in Heptap. Trismegist. in Pimād.

te voluas? Terráque ſeſe ſupra ignem, cœnum ſupra cælum vt attollat ſeſe permittas? Minimè. Fateor variæ quidem eò te alliciũt corporis illecebræ: ſunt illices voluptates, eſt ſacra auri fames, & viui hominis ſepulchrum deſidia. Hæc diuinos illos in te ſpirantes igniculos ſuffocare poſſent, & blandienti ſuo vultu te irretire: verùm exilit pars illa nobilior, criſtas ſuas attollit, & effrenem illam ſtomachoſis increpationibus frenat: Animi namque imperio, corporis ſeruitio magis vteris.

Saluſt.

Hæc igitur animæ vis corporis pediſſequam Veneream vitam ſupplantat, Socialem compoſito propriam deſpicit, Solitariam diuinitatis naturæq́ue cognitioni deditam, ſolam amplectitur. Prima etenim illa amorem vulgarem ſectatur non cæleſtem, eſtq́ue humillima ſeruiens affectibus, & hinc plena turbarum, hominem quaſi Circæo poculo in belluam cõuertens. Altera hac quidem eminentior, & homini propria eſt, bona cum ſociis communicans, turbas affectúſque ſerenans, homóque homo vt appareat efficiens. At tertia illa eminentiſſima eſt, ſupra procellas rerum humanarum affectúſque ſe extollens, hominem tantùm ratione regens, ad diuinam conditionem proximè accedens, hominémque Deo ſimillimum efficiens. Hanc poſtremam principes humani generis propagatores amplexi ſunt, ratione ſolâ viuentes. Qui cùm, vt res cunctæ, originis ſuæ appetentiſſimi eſſent, eíque iungi vehementer deſidera-

ſiderarent, (id eſt cælum, Deúmque creatorem ſuum appeterent. Quippe cùm nihil aliud ſit animus rationalis, quàm diuinus ſpiritus in faciem humanam à S. Deo efflatus,* originale peccato pollutus, hincq; corpori alligatus & effectus carnalis, cùm contra corpus ſpiritale efficere debuiſſet.) Cùm, inquam, tam incredibili origenis ſuæ deſiderio æſtuarent, animiq; pollutis vinculis cæno huic alligati, ad longinquos mundi receſſus, originis ſuæ ſedem, penetrare non poſſent, nulláque ratione incomprehenſibilem Dei maieſtatem intueri: tam duræ neceſſitati benefica Dei Opt. Max. munificentia ſuccurrit, Philoſophiam animæ perfectionem ipſis donans, cuius beneficio origini ſuæ, æternæ intelligentiæ, per ſui cognitionem, iungerentur. Etenim qui ſe ipſum cognoſcit, tranſit in Deum, quoniam vita & luce conſtat omnium pater, ex quo natus eſt homo. Qui igitur comprehendit ſe ipſum ea luce & vitâ compoſitum, ſurſum ad vitam lucemque tranſcendit.

Moſes 1. Geneſ.

* Hinc præclarè inquit, Auguſt. lib. 14. De Ciuit. Dei c. 3. Corruptio corporis quæ aggrauat animã non pęccati primi eſt cauſa, ſed pœna. Nec animam peccatricem caro ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem.

Ariſtot. 2. Ethic.

Triſmegiſt. in Pimand.

Marſil. ficin. lib. 2. epiſtol.

Nihil igitur aliud eſt Philoſophia quàm animi adſcenſus ab inferis ad ſublimia, à tenebris ad lucem. Hanc diuinitatis fruticem ſibi oblatam certatim occurrentes primi parentes arripuere. Nam cùm naturam hominis Deus veri adipiſcendi cupidiſſimam feciſſet, medius fidius,* nullus ſuauior animo cibus quàm cognitio veritatis, nihilq; optatius quàm ad Deum, ipſam veritatem, peruenien-

Lactant. Idem.

* Quarè præclarè dicebat Socrat. teſt.

Diog. Laert. lib 2. Vnicum esse bonum scientiam, malum contra vnicum inscitiam. *Virgil. Manil.

ueniendum gradus tis offerri potuit. Acceptam tenellulam hanc Philosophiæ fruticem cotidiè iugiter aquis experientiæ rigauere,

*Vt varios vsus meditando extunderet artes.

Nam tum

——— longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemq;
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.
Seducta in varias certarunt pectora curas,
Et quodcumque sagax tentando repperit vsus
In commune bonum commentum læta dedére.

donec tandem pertinaci diligentia, ingentíque cum sudore (ipsa nequicquam indignante natura, nam

Virgil.

——— labor omnia vinit
Improbus, & duris vrgens in rebus ægestas.)

in hanc hodie quam cernimus aëream arborem enutriuere. Quare

Manil. lib. 1.

Per varios vsus artem experientia fecit
Exemplo monstrante viam.

Cicero. Idem. lib. 5. Tuscul.

Principes igitur illi parentes qui in corporibus humanis vitam imitabantur Deorum, *id est*, quibus viuere nihil aliud erat quàm cogitare, *plurima cotidiè sensibus obuersantia obseruauere, animaduersa inductione colligentes, perennes artium & scientiarum scaturigines condidere. Quæ posterorum memoria altæ, experientia auctæ, literarúmque monumẽtis diffusæ, in immensum scientiarum omnium excreuere Oceanum. Etenim*

Lucret. lib. 5.

Nauigia atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vestes ac cætera de genere horum

Præmia,

Præmia, delicias quoque vitæ funditus omnes,
Carmina, picturas, & dædala signa polire,
Vsus, & impigræ simul experientia mentis
Paulatim docuit, pedetentim progredientis.
Sic vnumquodque paulatim protrahit ætas,
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Namque aliud ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

Vt autem ab hominum primo Adamo prima principia nostra ducat oratio. illum non tantùm ante lapsum arbitramur sapientem, prudentem, omnísque doctrinæ genere ornatissimum fuisse: verùm etiam à lapsu rudem, adumbratam, inuolutámque eorum cognitionem retinuisse; quam postea exili hoc diuinitatis lumine, quod restibile sibi relictum erat, euoluere conatus est: omnésque eius posteri nixi sunt, & nitentur donec cælum fatalem motuum numerum euoluerit. Etenim peccato in tenebricosum obliuionis ergastulum coniectus, inscitiaq; densâ caligine obsessus, in summâ versabatur cũctarum rerum ignorantiâ. Verumtamen retinens semina quedam suæ diuinitatis, rerúmque maximarum dulci recordatione, quasi igniculis accensus perpetuo intelligendi sciendíque desiderio flagrabant. Atque hinc maximo cum labore & studio multa perscrutatus est, recuperauítque sensuum ope; in ea primùm incumbens quæ sensibus erant obuia, deinde occultiora solâ mente cognoscibilia, ratione colligens. Nec in dubium cadit

quin filios suos plurima à se inuenta docuerit, longâ námque cum illis vixit societate, annos enim vitâ expleuit 930. Primum genuit filium Cain anno vitæ suæ 15. qui cùm fratrem Abel anno Adami 100. occidisset, profugit in Orientem: ibique vrbem omnium principem
Genes. 4 condidit Hanoch à filio suo denominatam. In qua cum suâ progenie nouam religionem, violentúmq. instituit imperium quod mox ipsius
Ibid. posteri ad summum potentiæ gradum euexere. Tubal-cain enim filius Lamech, filij Mathusael, filij Mahuiael, filij Irad, filij Hanoch, arma equorúmque instrumenta ex metallis fabricatus est, ad amplitudinem & robur imperij. Huius autem frater Iubal voluptatum & deliciarum fomentum Musicen excogitauit. Horúmque soror Noëma vestium delicias ex lana linóque conficere docuit, cùm antea indusiis hominum, brutorum duntaxat exuuiæ essent. Nec à fide abhorret horum posteros plurima ad Politiam & Rempublicam pertinentia (quippe cùm rerum potirentur) inuenisse.

Interempto itaque Abel paternæ bonitatis expressissimo exemplari Adam Euam cogno-
Genes. 5. scens, eius loco progenuit Seth, anno vitæ suæ 130. à quo longâ serie orta est, Maria mater Saluatoris nostri. Vixit Seth cum Adamo annos 800. obiit autem anno Mundi 912. ante Adamum 18. Cùm autem paternâ doctrinâ imbutus, & propriis contemplationibus excultus, multiiugæ eruditionis esset, ingens incre-
mentum

mentum disciplinis attulit : namque ipsum primùm

——— impensius ipsa
Scire iuuit magni penitus præcordia Mundi. Manil. lib. 1.

Septémque Planetis nomina impesuit primus. Columnas in Syriâ duas exstruxit, (ab Adamo enim uniuersalem rerum interitum ob hominum peccata euenturum audiuerat) lapideam vnam, lateritiam alteram : iisque disciplinas ab Adamo inuentas, à se autem excultas, insculpsit: ut si lateritia diluuio absumeretur, lapidea superstes esset, quæ hominibus discendi faceret copiam. Et rumor est inquit Iosephus lapideam illam ab illo dedicatam quæ nostris temporibus exstat in Syria. Lib. 1. Antiq. Iudaic. c. 2.

Seth anno vitæ suæ 150. Adami 235, genuit Enos *, qui cum Adamo vixit annos 695. obiit autem anno vitæ suæ 905. Huius tempore nomen* Dei *antea tyrannide Cainitarum pessundatum, cæpit in terris prædicari. Enos anno vitæ suæ 90. Adami 325. genuit Kenan, qui cum Adamo exegit annos 605.* Obiit *autem anno vitæ suæ 910. Kenan anno vitæ suæ 70. Adami 395. genuit Mahaleel, qui vixit cum Adamo 505. obiit anno vitæ suæ 895. Mahaleel anno vitæ suæ 65. Adami 460. genuit Iared, qui vixit cum Adamo annos 470. obiit anno vitæ suæ 962. Iared anno vitæ suæ 162. Adami 622. genuit Henoch, qui cum Adamo vixit anno 308. annos autem* Genes. 4. Ioseph. lib. 1. Antiq. Iudaic. c. 4.

vitæ suæ 365. à Deo in cœlum translatus est. Hic maxima incrementa dedit Astronomiæ omnibúsque scientiis, quippe plurima edoctus cùm esset ab ipsis angelis. Conscripsit vaticinia; ex quibus Iudas Apostolus hoc citat, in epistola catholica, inquiens, Prophetauit autem etiam de istis septimus ab Adam Henoch, dicens, Ecce * venit dominus cum sanctis millibus suis. Vt ferat iudicium aduersus omnes, & redarguat quicumque ex ipsis sunt impij, de factis omnibus quæ impiè patrarint, deque omnibus duris quæ locuti fuerint aduersùs ipsum peccatores impij. *Hunc inquit Eupolemon Græci Atlantem appellarunt, Astrologiæque inuentionem ipsi attribuerunt; unde Virgil. Æn. 1.*

Eupolem. in lib. de Iudæis.

Vers. 14.

* præteritum futuri loco Hæbr. more.

in lib. de Iudæis.

——— citharâ crinitus Iopas
Personat auratâ, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores;
Vnde hominum genus & pecudes; vnde imber & ignes:
Arcturum, pluuiásque Hyadas geminósque Triones.
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Genuit anno vitæ suæ 65. Adami 687. Mathusalach, qui vixit cũ Adamo annos 243. obiit anno vitæ suæ 969. Mund. 1656. id est ipso Diluuij anno. Anno autẽ vitæ suæ 187. vitæ Adami 874. ante obitũ Adami anno 56. genuit Lamech. Ita vt cum Adamo vixerit Lamech annos 56. Obiit autem Lamech anno vitæ

vitæ ſuæ 777. Mund. 1651. id eſt 5. annos ante Diluuium, relinquens filium Noach.

Noach (*cui nomen à quiete Lamech afflatu diuino impoſuit, dicens: Hic nos recreabit à negotiis noſtris, quæ nobis exhibet terra à Deo maledicta. Quod vaticinium verum quidem fuit, tempore enim Diluuÿ quieuit terra, ſed modum eius quietis non intellexit.*) *natus eſt anno Mund. 1056. anno Lamech 182. poſt mortẽ Adami anno. 126. Sethi 14. Satur vitæ, ſatur gloriæ moriens, vitâ annos expleuit 950 ante Diluuium quidem 600. quo tempore ex conuerſatione antiquorum patrum plurima diuinæ ac humanæ ſapientiæ arcana didicit. Vixit enim*

cum	Enos	84.	*annos.*
	Kenan	179.	
	Mahaleel	234.	
	Iared	366.	
	Mathuſalach	600.	
	Lamech	595.	

Incidit autem Diluuiũ in annum Mundi 16[illegible]ec ex vllius gentis memoria deletum fuit, licet non genuina facie inſculptum hæſerit, ſed fabulis, & figmentis offuſcatum. Et vt haſce tenebras illuſtrem, & pedem pauliſper in primo hoc limine figam, quoniã olim & nunc plurimarum gentium ingenia inuoluit hæc nubecula, ego ſi fas mihi vela pandere, & nauem immittere altiùs in hoc turbidum antiquitatis fretum, paucis inuiam hanc viam

aperiam,

aperiam, & primus naui meâ secabo Cimmerium hoc mare.

Quid quæso apud Phœnices, Ægyptios, Græcos, Romanos, Diluuio vulgatius, apud quos sub fabularum & nominum figmentis vera exprimitur inundatio? Cùm enim Gygantes & illusores impij Noach arcam moliri cernerent, omniúmque animalium interitum prædicere nisi resipiscerent, audirent, Prometheum ironicè nominarunt: atque etiam cauillati sunt vulturem in visceribus cor depascentem alere, atque hunc ipsi à Ioue datum tortorem, eo quòd diceret totum Mundum vndis obruendum, quasi omnem ignei elementi vim Ioui surrepturus esset: huiúsque furti non patrati quidem, sed cogitati pœnas pendere. Caucaso verò alligatum dicebant, quòd ad Caucasi radices arcam fabricaretur, operi iugiter incumbens, eique adamantinis velut curarum clauis adfixus, adhærescens. Quos sarcasmos cùm post Diluuium posteri Noach diuulgassent, Prometheæ fabulæ occasionem dedêre. Quæ postea à poëtis veræ historiæ ignaris poludedalis errorum flexibus implicita est. Prometheum enim Iapeti filium finxere, cùm is illius fuerit. Item Prometheum à Deucalione separauerunt, cùm Prometheus & Deucalion idem fuerit, posterius nomen sortitus à nimia humoris copia: Pyrrhámque ei coniugem iunxere, quòd dicerent tum homines demum cæptos generari, cùm terra ignei elementi vi deficcata

ficcata

ſiccata eſſet. Quaſi homines perinde ex humore & calore fierent, vt lapides ex argilla in fornace decocta. Vnde etiam Prometheum ex luto & igne de cælo furtim ſurrepto homines finxiſſe dixere.

Noach item Ogyges appellatus eſt, quòd generis humani ianuam aperuerit. Latini Cimbricâ voce Saturnum vocarunt, tanquam magnum & potens ſemen. Quòd ab ipſius ſemine poſt inundationẽ genus humanum manauerit. Dictus & eadem ratione eſt Hercules; eâ enim voce Scythæ teſticulum communem ſignificarũt. Her commune ſiue publicum & ad omnes ſpectans: Her-man monitor publicus: Her-alt ſenator publicus. Cul autem teſticulum denotat. Et Hercules quidem Prometheum liberauit: dum enim Noach Diluuium præuideret, Prometheus erat, dúmque grauiſſimis curis ac doloribus depaſceretur ob futuram hominum ſubmerſionem, vulturem in præcordiis alebat. Simulátque autem hæc diffugiſſent, Hercules eſſe cœpit: quòd aduerſis magno animo ſuperatis, ab ipſius ſemine tota generis humani conſeruatio penderet. Hoc modo Hercules Prometheum liberauit, detractâ prouidentiæ curioſâ curâ, & tranſlatâ commiſeratione ad robur animi diuino fœdere corroborati, videlicet ex ſemine ſuo genus humanum reparatum iri. Finxerunt & Græci, teſtibus celeberrimis hiſtoricis, Saturnum Xyſuthro Diluuium prædixiſſe, arcámque vt ſibi con- Alexand. & Abyden. apud Cyril.

ſtrueret

ſtrueret præcepiſſe, quæ omne animalium genus recipere poſſet, eiúſque monumenta in Heliopoli Ægypti in ſepulturis quibuſdam conſeruata fuiſſe. Per Saturnum Deum denotantes: Græci enim argumento à die ſeptimo ducto, quem ipſi Saturno conſecrabant, à Iudæis Saturnum coli putarunt: quòd ſeptimo die cultui diuino vacarent. Et Xyſuthrus linguâ Aſſyriâ forſan Noach denotat, qui in diuerſis regionibus diuerſa nomina ſortitus fuit.

Quemadmodum autem vnum Noach in plures, ita vnũ Diluuium in plura diſpeſcuere, nimirum vetuſtum, Ogygium, & Deucalionium. Nam cùm à patrum attauis Diluuij & aliarum circa id tempus rerum geſtarum memoriam veluti manibus per inartis æui tenebras traditam accepiſſent, eam diuerſi in diuerſam, ad ſuæ patriæ antiquitatis adulationem, inundationem diſtorſere. Quam tamen varietatem in re caſcâ, & tam denſis æui tenebris obſitâ non miror. Et hinc euenit vt Bacchum Herculemq́; genti ſuæ quiſque vendicaret. Verumtamen nonnulli Ogygium & Deucalionium Diluuium vetuſto minus faciunt. Sed Pindarus, Virgilius, Ouidius, aliíque poëtæ qui Deucalionij meminerunt, vniuerſum id faciunt. Et Theophilus Alexandrinus epiſcopus, Noach à quibuſdam vocatum Deucalionem ſcribit. Verùm Plutarchus in illo lib. in quo docet brutis non deeſſe rationem, remoto tegmine tenebrarum, nudam veritatem proponit.

nit. Columbam enim à Deucalione emissam fuisse ex quâ didicerit terras exsiccatas, ab iis proditum refert qui fabulas scripserunt. Ægyptij figmentorum benigni patres, omnia quæ Noach sunt tribuunt; Osiridi, Nilo, Ammoni, Dionysio, Serapidi, Plutoni, Ioui, Pani, Apollini, Oro; cuncta ob altam historiæ ignorationem confundentes. Nec tamen ipse mendacij & confusionis pater diabolus, quin nudam veritatem detegeret se haud continere potuit. De ambiguitate enim horum nominum interrogatus, respondit:

Sol & Osyris idem, Dionysius, Orus, Apollo.

Diluuio finito aquísque intra pristinos terminos coërcitis, Noach arcâ egressus est, protinúsque in antiquum prauitatis gyrum res humanæ sunt reuolutæ. statim enim ad dominationes & imperia animum homines appulere, Dei cultum, Sapientiaq́ studia spernentes. Primúsque omnium Cham cui sorte obuenerat Aphrica, illâ non contentus Syriam eiq́ conterminas regiones, quæ sorte Semi fuerant factæ, vi bellorum inuadit ac rapit, poténsque regnum condit. Pios patres, & doctrinam de semine redemptionis nostræ persecutione premit. Ignem in Vr Chaldæorum vrbe, Abrahami patriâ, adorandum ponit, graui pœnâ in pertinaces promulgatâ.

Citatur Euseb. lib. 3. de præparat. Euang. cap. 4.

Huic successit nepos Nimrod, id est, amarus domitor, fortis venator coram Domino, minimus natu filiorum Chus, filij Cham. Hic se-

des hæreditate acceptas angustas cùm censeret, quæ iure petitionis obtinere non poterat, bellorum latrocinio cepit. Primúsque nomen regis post Diluuium vsurpauit, terrásque & eius cultores sub iugum misit. Cùm enim omnes ciuitates & pagos reges & tyranni obtinerent (vt & hodiè in America quos appellant CACICOS) bello singulis illato, vniuersos superauit: Regniq; sui caput Babel, anno Mundi 2131. constituit. Quam postea Assyriorum regũ incuriâ collapsam instaurauit Semiramis, murum cocto latere circumdans, arenâ, pice, bitumine interstrato. Quo respiciens, canit Ouid.

Euseb. de Præparat. Euang. lib. 2. c. 1.

Genes. 10. 10. & August. lib. 16. de Ciuitat. Dei cap. 4.

Cuius instauratrix Semiramis.

Iustin. l. 1.

——— vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

Lib. 4. Metamorph.

Vires autem & robur iam pedetentim acquirente imperio Babylonico, dux militiæ Babylonicæ Assur Ninus, filius Sem, à rege suo definiens finitimam regionem à se Assyriam dictam occupauit. Occupatam, imperij in vniuersam Asiam dilatandi sedem constituit. Nobilissimísque & plurimis eam vrbibus exornauit; inter quas princeps Niniuech, & ab amplitudine vocata Rahoboth, Calahh, & Retzen sita inter Niniuech & Calahh. Inter has autem Niniuech amplitudine & magnificentia præfulgens, domicilium fuit tum Nini, tum omnium imperatorum Assyriorum vsq; ad Sardanapalum, virum muliere corruptiorem. Situ adeo diffuso fuit vt eius vici & plateæ

Genes. 10. 11. & 12.

Iustin. l. 1.

plateæ non minori quàm trium dierum ſpatio perluſtrari poſſent. Cúmque de principe Mundi parte triumphaſſet (Ninus *etenim* Rex vniuerſam Aſiam, quæ totius orbis ad numerum partium tertia dicitur : ad magnitudinem verò dimidia * reperitur, vſque ad Libyæ fines ſubegiſſe traditur. Solis quippe Indis in partibus Orientis nō dominabatur: quos tamen eo defuncto Semiramis vxor eius eſt aggreſſa bellando. Ita factum eſt vt quicumque in illis terris populi, ſiue reges erant, Aſſyriorum regno ditioniq́ue parêrent.) *diues fuit ſpoliis, multíſque monumentis ducum Aſſyriorum decorata. Mœnius adeò firmis munita fuit, vt nullius æui dentem, aut humanam violentiam ſentire potuiſſent, ni diuinitùs immiſſò fluminis impetu diruta fuiſſent. Eorum enim altitudo fuit pedum centum, latitudo quæ tres currus iunctos caperet: ambitus quadringentorum octoginta ſtadiorum, facie quadranguli. Turres in muris mille & quingentas, centum pedes altas habebat. Verùm quid ego meis ineptiis tantæ vrbis maieſtatem detero ? Ionam Pietatis alumnum adi & audi apertiſſimis verbis priſcæ magnificentiæ ſplendorem illum exprimentem:*

Aug. li. 1[illegible] de Ciuit. Dei cap. 2. * vnde Silius canit, *Aut iũgens Aſia latus, & pars tertia rerum.*

Viues ad c. 3. lib. 16. de Ciuitat. Dei.

cap. 3.

2. Fuit verbum Iehouæ ad Ionam iterum, edicendo,

3. Surge, adi Nineuen ciuitatem maximam, & proclama in eam proclama-

tionem illam quam ego edico tibi.

4. Surgens itaque Ionas abiuit Nineuen secundùm verbum Iehouæ; Niniue autem erat ciuitas perquàm maxima, itinere tridui:

5. Vbi quum cœpisset Ionas ire per ciuitatem itinere diei vnius, & proclamauisset dicens, adhuc quadraginta dies, deindè Niniue subuertetur.

Et medius fidius si vnquam, hic imprimis blanditur coniectura, vt vel ausim dicere, artem diuinandi in perpetuum me desinere hic, si errem, modestiùs id tamen, & ita vt venia mihi in libero veri studio detur. Nam quid à fide minùs dissentaneum, quàm hanc vrbem omni humanioris cultus genere abundantem, à sapientiæ Philosophiæq; studio alienam haud fuisse? Præcipuè cùm historicos habuerit, quorum opera Nini gesta litterarum monumentis consignata fuerint?

Cùm autem ad summum virtutum vitiorúmque fastigium Niniuech peruenisset, execrandâ superbiâ atrocissimísque sceleribus flagrans, iustissimâ diuinâ vindictâ à Babyloniis victa ac triumphata est. Et ita rursum variatâ vice ad Babel, vrbium post Niniuech amplissimam, sitam ad Euphratis Mæandros, reiectæ sunt terrarum habenæ. Atque indubiè vt opes & diuitiæ, ita etiam cultus disciplinarum à Niniuech, Babel translatus est. Et ratio accinit, eáque quæ in Babylonico imperio secuta

sunt

ſunt à Niniuitis, & ab antiquis piis patribus acceptas diſciplinas Babylonios excoluiſſe, oſtēdunt. Aſtronomiā etenim quâ nullā diſciplinā fœliciùs aut ardentiùs antiqui excoluere, incredibili labore, perennique ſtudio maximis incrementis auxere. Námque in camporum patentium æquoribus habitantes cùm ex terrâ nihil emineret quod contemplationi cæli officere poſſet, *ex altiſſima ac cælo æquata machina, giganteâ fabulâ nobilitatâ illâ turri, omnium ſiderum ortus occaſúſque, & cæli variantes vices vultúſque obſeruauere; ac ex obſeruatis quid cuiq; ſignificaretur memoriæ prodidere. Bel enim Semiramidis pater primus apud Babylonios ex hac turri ſummo deſiderio aſtrorum cognitioni incubuit, inde*

Cicer. lib. 1. de Diuinat. de Babyloniis agens.

Plin. lib. 6. cap. 28.

Idem. Ibid.

——— ſpeculataque longè
Deprendit tacitis dominantia legibus aſtra,
Et totum æterna mundum ratione moueri,
Fatorumque vices certis diſcurrere ſignis.

Manil. lib. 1.

qui & ideo eodem in loco ſepeliri voluit: quod filiâ Semiramis præſtitit, templum ei diuinóſque cultus ibidem conſtituens. Hic indubiè cùm ſummæ potentiæ fulgeret, quippe mundi imperio cùm potiretur, plurima collegia muniis nominibúſque diſparata, inſtituit. Vnde Diodorus Sicul. perēne hoc teſtimonium fixit: Tradunt inſuper plures Ægyptij à ſe colonias per vniuerſum orbem deductas. Nam in Babyloniam colonos traduxiſſe Belum Neptuni Libyæque filium volunt:

Lib. 1. Rer. antiq. cap. 2.

qui ſedem vrbi ponè Euphratem cùm elegiſſet, Sacerdotes (hos Chaldæos Babylonij vocant) qui more Ægyptiorum aſtra obſeruarent, phyſicos etiam Aſtrologiæ qui dediti eſſent, inſtituit. *Verba lucida & Solis quòd dicitur radio ſcripta. Verùm ô veſtram frontem, imò & fidem impudẽtes Ægyptij! Quid? vigente imperio Aſſyriaco Babyloniόve à vobis imbellibus in potentiſſimum illud imperium colonias ductas credam? non ego, non inquam, ſi credendi auctor mihi Phœbus ipſe. Liquidæ veritatis apud Hiſtoriæ alumnos eſt, vos, florente imperio Aſſyriaco, pedem extra fines veſtros non extuliſſe, ne dum in infractum illud imperij robur poſuiſſe. Agite igitur redite cum veritate in gratiam, & Belum ſubiugato Ægypto omnes animi corporiſque delicias in ſuum imperium tranſtuliſſe candidè fatemini.*

Nec puto quidquam magis diuinæ ſcientiæ exitio fuiſſe, quàm hanc exterarum doctrinarum in Babyloniorum imperiũ inſertionem. Hinc enim arbitror in Vr Chaldeorum ſeu Orchoë, perſequutiones pietati deditorum pullulaſſe, cùm collegia philoſophorum pietati adhærentium (quorum pars magna videtur niueũ id pectus, germenq́ priſcæ probitatis Hiob, Hiob. *Bilbámque fuiſſe.) cum impietati immerſorum Orchoniorum collegiis concertarent. In ea enim Aſſyriæ parte primùm poſt Diluuium, Dei cognitio exſplenduit: vnde & Apollo ora-*
culum

culum de Sapientiæ repertoribus canēs inquit:

Chaldæis quæ vera esset sapientia tantum
Hæbreisque ipsis concessum agnoscere, purâ
Æternùm qui mente colunt regemq́. Deumque.

Apud Porphyrium lib. 1. de Philos. Respons.

Collegia igitur Belum instituisse aperui, alteræ mihi tenebræ fugandæ de officij diuersitate, quas videor eiusdem Diodori testimonij radiis illustrare posse: inquit enim, Sacerdotes (hos Chaldæos Babylonij vocant.) qui more Ægyptiorum astra obseruarent, Physicos etiam Astrologiæ qui dediti essent, instituit. *Officia sine circumductione aperit, nimirùm astra eorúmque cursus & vires obseruare, & de animaduersis eorum cursibus ac potentiis iudicia ferre. in quam sententiam exclamans erumpit Lucanus:*

——— quis noscere fibra
Facta queat, quis prodat aues, quis fulgura cæli
Seruet, & Assyria scrutetur sidera cura?

Cui ingens lumen Apulei Diogenisque Laertij testimoniū affundit: inquit enim ille, Chaldæi sideralem scientiam, luminum vagantium status, ambitus, vtrorumque varios effectus in genituris hominum ostendere consueuerunt. *At hic in præfatione scribit* Chaldæos circa Astronomiæ rationes prædictionesque occupari. *erant enim iudicia ipsorum genethliaca ferè, humanæ vitæ prosperæ aduersæuæ fortunæ prænuncia, vnde Horatius cecinit:*

Lib. 2. Floridor

Lib. 1. Carmin.

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem
tibi
Finem Dî dederint Leuconoë: nec Babylonios
Tentaris numeros vt melius quidquid erit pati.

De modo autem quo obseruationes iudiciáque hæc conseruarentur, modicè iam, aut potius intra modum dicam.

Arbitror hæc lapidibus literis hieroglyphicis impressa fuisse, id est sacris rerum imaginibus. quam coniecturam eo libentius amplector, quòd legam Democritum librum scripsisse de sacris in Babylone literis. Et omnem dubitandi eripit ansam Epigenes, affirmans apud Babylonios DCCXX. *annorum, obseruationes siderum, coctilibus laterculis inscriptas fuisse. Verùm licet maximo labore cotidiè hanc artem excolerent,* de Solis tamen Eclipsi varia sententes, neque de ea suam sententiam adferre audebant, neque tempus prædicere. *Gloriabantur autem Babyloniorum Philosophi, teste Cicerone, se obseruasse ante Alexandrum Magnum puerorum geneses per annos 43000. id est ab ipsis mundi natalitiis. Cùm enim illi de suis disciplinis agunt, vtpote Mathematicis, annum Lunarem intelligunt. Illos igitur annos lunares 43000. retrograda numeratione computa, & incides in ipsum incipij mundi punctistitium. Iam quid tandem? in abyssum tenebrarum me ne immittam, & artem martémque omnem adhibebo vt in altâ nocte penitùs reposita Astronomorum Babyloniorum*

apud Plin. lib.7.c.56.

Diodor. Sicul.lib. 2. Rer. Antiq.c.8.

niorum nomina protraham in meliorem lucem? Non adeò inuisus musis natus ego, hanc scyllam adeò vt adnauigem propè, inq́; incognitum hoc antiquitatis fretum ratem meam vt immittam primus; littus in hoc Oceano legam, & eam nauigationẽ appetentibus viam quandam confusè signabo velut astris.

Vtrique tam obseruatores, quàm iudices & diuinatores ex obseruatis, Chaldæi *Curtio dicuntur, inquit enim ille, pompam describens quæ Alexandro magno è Babylone obuiam procedebat,* Magi deinde suo more carmen canentes. post Chaldæi Babyloniorũ non vates modo, sed etiam artifices (*id est ij Astrologi qui astrorum cursus obseruabant, varia instrumenta in eum vsum fabricantes*) cum fidibus sui generis ibant. Laudes ij, (*scilicet Magi*) regum canere soliti, & temporum statas vices ostendere. *Ita etiam apud Danielem omnes astrologi Babyloniorum Chaldei vocantur.* Quapropter edixit rex, vocari Magos, astrologosq́. & præstigiatores, Chaldæos denique ad indicandum regi somnia ipsius. *Et eodem capite,* Nullus rex, princeps, aut dominator verbum huiusmodi petiit ab vllo Mago, astrologóve, aut Chaldæo.

Lib. 5. 1c

cap. 2, 2.

10.

Chaldæi autem dicebantur quòd aut plurimi è patriâ Chaldeâ nati his disciplinis se traderent, quæ sententia Ciceronis calculo approbatur. Qua in natione Chaldæi non ex ar-

Arist. in Magico. & Sotion 23. successiõn. lib.

Lib. 1. de Diuinat.

tis ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſeruatione ſiderum ſcientiam putantur effeciſſe, vt prædici poſſet quid cuique euenturum, & quo quiſque fato natus eſſet. *Aut quòd eâ in regione plurimæ fuerint ſcholæ his diſciplinis dicatæ, à quibus aſtrologicâ theoriâ inſtructi prodeuntes Babylonem accedebant, vt ex ædititiſſima turri (ne impedirentur vaporibus qui perpetim eius regionis infimum aërem obſidebant,* adeò vt poſita humi horrea in ſublime ſæpe exilirent, tanquam ſi loca illa languore quodam tumentia ſalientem ederẽt pulſum.) *in exercitationem eam funderent. vel* quòd ſacerdotes eſſent quos Chaldæos Babylonij vocabant, inquit *Diodor. Sicul. lib. 1. Rer. Antiq. cap. 2. Quam tamen ego ſententiam haud probo, ita enim Chaldæi Magíque confunderentur: nihil enim aliud Magus Perſis, quàm ſacerdos eſt. Quamobrem aut primam, vel etiam libentius ſecundam amplector ſententiam. Has autem Babyloniorum diſciplinas poſteriori æuo à Daniele eiúſque contubernalibus rigidiori aſciâ expolitas, ac nitidis puræ diuinitatis coloribus exornatas fuiſſe, probabilibus teſtimoniis ex ſacræ ſcripturæ fontibus hauſtis demonſtratur. Namque cùm Daniel Nebucatnetzar ſomnium intricatiſſimum explicaſſet:*

Plutarch. in Alexan.

Tunc Danielem magnificauit, & dona ampliſſima multa dedit ei, dominatorem-

Daniel. cap. 2. 48.

que

quę constituit eum in totâ prouinciâ Babyloniæ: & præfectum antistitum super omnes sapientes Babyloniæ. Denique
Daniele petente à rege, constituit super 49.
negotium prouinciæ Babyloniæ Schadracum, Meschacum, & Habed negonem: Daniel verò præerat portis regis.
Viden'? peritissimos diuinæ humanæq́ue Sapientiæ viros philosophis Babyloniorum Daniel præposuit: qui indubiè vnà cum Daniele benignè illis diuinæ scientiæ latentes thesauros ad gloriam Dei ostendit.

Primus autem Græciæ Babyloniorum hanc Philosophiam Berosus Chàldæus intulit, vt ex hisce Vitruuij verbis quæ de Chaldæis pronunciat, clarescit: Eorum autem inuentiones quas scriptis reliquerunt, quâ solertiâ, quibusq́ue acuminibus, & quàm magnæ fuerint qui ab ipsa Chaldæorum natione profluxerunt, ostendunt. Primusq́ue Berosus in insulâ, & ciuitate Coo consedit, ibiq́ue aperuit disciplinam, *adeò veritati amicam vt ob certissimas prædictiones statuam linguâ inauratâ Athenienses publicitùs ipsi dedica-* Plinius.
rent. Excoluere & Babylonij testem tempo- Cicero.
rum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nunciamq́ue vetustatis Historiam. *Quorundam enim philosophorum id munus erat Imperatorum res gestas litera-* Ioseph.
rum perennitati vt insererent, & circa eas vt lib. 1.
philosopharentur; id est regum suorum histo- contra Apion.

 rias,

rias, ad vnguem vt ediscerent, cantionésque in eorum laudem conditas ad discordem chordarum consonantiam concordi voce vt modularentur. Hos Magos dictos adfirmatè adfirmare ausim, testimonio Curtij innitens, laudes *enim* regum Magos canere solitos *dicit. Quo alius locus non mihi videtur in clariori luce. Quin & Callisthenes in epistolâ ad Aristotelem è Babylone scriptâ, idem de historiis testatur. Iniunxerat enim ei Aristoteles vt dum reliqui diuitias Babyloniorum scrutarentur, ipse eorum monumenta conquireret. quæ indubiè nectare Sapientiæ stillabant, cùm scribat Auerroës, quondam apud Chaldæos non minus perfectam Philosophiam floruisse, quàm apud Græcos splenduit vigente Aristotele. Quare captâ Babylone diligenter omnia philosophorum monumenta conquisiuit: Aristotelíque rescripsit, se ei cuncta quæ reperire potuerat Babyloniorum monumenta mittere, inter quæ & historiam quæ res gestas annorum 1903. complecteretur.*

Lib. 5.

Simplic. ad lib. 1. de Cælo.

Ex quibus vestigiis quilibet oderetur, plurima Babyloniorum suis scriptis inseruisse Aristotelem suppresso nomine, expresso tamen interdum, sed rarenter. vt lib. 2. de Cælo cap. 12. vbi ait, Similíque ratione de cæteris etiam stellis loquũtur qui earum rationem plurimis annis obseruarunt Ægyptij & Babylonij, à quibus multa fide digna de singulis sideribus accepimus.

In

In fluxu & flexu hoc rerum, populorúmque tum belli calamitatibus, tum præfectorum tyrannide cõfusione (vt enim omnium amnium confluxus in Oceanum, sic cladium videtur in hoc æuum.) tres patres diuinæ & humanæ sapientiæ propagatores Abraham, Isaac, & Iacob vixisse liquidæ veritatis est. qui

Non humili dixère tubâ, quoque ædita partu
Gramina, frondiferumque nemus, gentesque ferarum,
Quidue parens natura agitet, quósue aurea ducant
Astra choros, vt se fraternis Delia flammis
Induat, & radiis eadem mox depleat haustis.
Quæ cœlo portenta volent, quemque ille tumultum
Misceat, & quantis varietur ab ignibus aër.
Quo saliat quassante solum, qui torqueat error
Oceani refluas vndas, molemque natantem.

Politian. in Nutriciis.

Natus enim est Abraham anno. Mundi 1948. post Diluuium 292. anno vitæ patris sui Tharah 70. (*quo tempore* Ninius *filius Nini* habebat in regno quadraginta tres annos, qui erat annus circiter millesimus ducentesimus ante conditam Romam, veluti alteram in occidente Babyloniam.) *in Vr, seu Chaldæopoli, vel Camerinâ, seu Orchoë, vrbe Babyloniæ. Quæ cùm tyrannide premeretur, omnésque eius ciues ad Idololatriam, ignis nimirum adorationem, cogerentur, iussus est Abraham à S. Deo patriam relinquere, & in Cenabhan migrare,* regnante apud Assyrios Ninio Nini & Semiramidis filio; *anno æta-*

Genes. 11. August. lib. 16. de Ciuitat. Dei c. 17.

August. lib. 18. de Ciuitat. Dei cap. 2. Genes. 12.

no ætatis suæ 75. Mundi 2006. à Diluuio 350. vbi Phœnices qui longè latéque in eâ dominabantur plurima docuit, quæ ipse à Babyloniis & antiquis piis patribus acceperat, propriis autem contemplationibus ita excoluerat, vt dicat Eupolemon ipsum apud Chaldæos Astronomiam inuenisse.

In lib. de Iudæis.

Circa hoc ferè tempus, nimirùm anno. 291. à Diluuio, Zoroaster rex Bactrianorũ floruisse videtur, cuius

Manil. Lib. 1.

Omnia conando docilis solertia vicit,
Nec prius imposuit rebus finemque modumque
Quàm cælum ascendit ratio, cæpitq. profundis
Naturam rerum causis, viditq. quòd vsquã est.
Nubila cur tanto quaterentur pulsa fragore,
Hibernâ æstiuâ nix grandine mollior esset:
Arderent terræ, solidúsque tremisceret orbis:
Cur imbres ruerent, ventos quæ causa moueret
Peruidit, soluitque animis miracula rerum.
Eripuitque Ioui fulmen, viresque Tonantis,
Et sonitum ventis concessit, nubibus ignem.

Ab hoc omnes Indorum, Æthiopum, totiúsque Orientis Philosophi manauere; Primi qui Ethicam, Physicam, ac Astronomiam excoluere, vnde Q. Septimius florens Christianus præclarè canit,

Primi iustitiam Æthiopes docuisse feruntur,
Et primi coluisse Deos, ritúsque sacrorum
Et castus cautusque pios didicisse, & honestis
Artibus instrauisse viam, primique per astra
Sollertes hominum viderunt fata, notarunt
Tempora, & errores Lunæ, Solisque perenne
Lustrum vertentem statuere ex mensibus annum,
Fontibus ex illis hausit Linus, Orpheus hausit,

Et mundi indefeſſus Atlas tibicen, & ille
Bœotus metarum anni deſcriptor Orion,
Tum proles Iouis Herculeus, tum rupe Prometheus
Caucaſeâ pendens, & Cadmus Agenoris, inde
Eudoxúſque Platóque, & quo te nomine dicam
Pythagora Libycis olim doctoribus vſe.
Omnia quæ à primis inuenta auctoribus, omnis
Græcia, deinde ſuos Romana potentia in vſus
Paulatim deriuauit.

Abraham autem vixit cum Noach annos 58. nec pauciores cum Sem. A quibus ea quæ antiqui patrum parentes ante diluuium inuenerãt, quæ plurima indubiè fuere, didicit. Illi enim cùm immenſa temporum ſpatia vitâ decurrerent, innumera à ſe inuenta & excogitata filiis tradebant, quæ illi poſtea excolentes, & paternæ experientiæ rurſum ceu lapidi lydio affricantes perfectiora cùm effeciſſent, in filiorum memoria theſauros reponebant: qui eadem viâ progreſſi omnes diſciplinas ad ſummum faſtigium euexere; vt rectè apud Afranium dicant,

Vſus nos genuit, mater peperit memoria.

Et hæ fuere rationes quæ nos extimularunt quòd ſuperius (fortaſſe prolixiùs) ſeriē patrum antiquorum euolueremus. Vt ſcilicet vno intuitu cerneretur quo tempore, & cum quibus ſinguli vixerint. Vt inde licèt non demonſtratione, at certè non vanâ opinione, artium incrementa perciperentur. Docuit autem Abraham Phœnices (id eſt populos regionem à Tzidone in Ægyptum vſq; extenſam inhabitantes.)

* Procopius l.2.de bello Vandalico. Eupolem. in lib. de Iudæis.

tes.) * *rationem solaris, lunarisq. motus, aliaque ad Astronomiam pertinentia plurima. Quæ ipsi postea cotidiana experientia auxerunt, plurima suis laboribus acquisita iis adijcientes; vt Arithmeticam, quam perpetuis mercaturæ computationibus exercitati excogitauere: & artem nauigationem dirigendi ad minorem Vrsam. Quod innuens canit Ouid.*

Lib. 4. Trist. Eleg. 3.

Magna minorque feræ quarum regio altera Graias,
21. Altera Tsidonias, vtraque sicca rates.

Et Sabellicus,

Phœnices primi famæ si credimus, orsi
Obseruare polos, motúsque sidera cæli,
Atque iter, & cursus, medio signare profundo.

Lib. 5. cap. 12.

Nec non multiscius Plinius in Phœnicum laudem sese effundens, Ipsa gens, *inquit,* Phœnicum in gloriâ magnâ literarum inuentionis, & siderum naualiumque & bellicarum artium floruit.

in Magico.

Inter philosophiæ autem apud Phœnices cultores Hog fuit, teste Aristotele, quem censeo regem Baschanis fuisse cuius biblia meminerunt. Fuerunt autem Phœnices ante aduentum Israelitarum ex Ægypto vsi litteris, qualibus & hodiè Chinenses, hieroglyphicis: quas litteras ignorabiles *ob obscuritatem Apuleius nominat. Vnde altâ voce adeò vt totius Mundi pars melior etiamnum exaudiat, Lucanus clamauit,*

Lib. 11. de Asino aureo.

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Has

Has autem indubiè ab Abrahano accepere, ille ab antiquis patribus, qui à Seth & Henoch inuentoribus. Eorũ enim alter Philosophiam, alter vaticinia iis conscripsit, vt superiùs commemorauimus. Postea autem acceptis ab Hebreis alphabetariis, iis vti cæperunt: quas inde in Græciam Cadmus transtulit; quod Curtius posteritati inculcans inquit, Si famæ libet credere, hæc gens (*scilicet Phœnicum*) literas prima & didicit, & docuit. *Alphabetarias autem ab ipso Deo acceperunt Israelitæ, cùm traderet Mosi* (qui Troianum bellum noningentis ferè annis antecessit) *decem præcepta huiuscemodi litteris conscripta. Et in sacrâ scripturâ nusquam mentio litterarum ante hoc tempus, Cumq; Moses primus & solus accepisset à Deo hasce tabulas nouis literarum lineamentis exornatas, postea ipse eas ab hominibus historiarum, & antiquitatis rudibus inuenisse dictus est. Vt ex hisce versibus, qui in peruetusto codice bibliothecæ Septimianæ leguntur, liquet:*

Lactan. lib. 4. Instit. c. 5.

Moses primus Hæbraicas exarauit litteras:
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scri, titamus ædidit Nicostrata:
Abraham * Syras, & idẽ repperit * Chaldaicas:
Isis arte non minore protulit Ægyptias:
Gulfila prompsit Getarum quas videmus vltimas.

Cùm autem anno Mund. 2493. Cenahhan ab Israëlitis ex Ægypto aduentantibus vastaretur, plurimi Phœnicum belli violentiam timentes

** id est Phœniciae: Phœnicia enim ob angustiam frequenter à chorographis finitimarũ regionum terminis includitur.*
** repperisse dicit quia vehementer excoluit, & quasi nouas fecit.*

mentes in Ægyptum aufugere, ſecum diſciplinas à patribus acceptas eò transferentes. Verùm cùm Ægyptus omnes non caperet, Africam verſus iter arripuerunt; ibique vrbes plurimas, regnúmque Mauritaniæ condiderunt. Cuius rei teſtimonium etiamnum viſitur, inquit Procopius, apud vrbem ab ipſis conditam Tingitanam, naturâ loci munitiſſimam. Ibi enim ſecundùm fontem columnæ duæ marmoreæ candidæ videntur, hæc verba Phœniciâ linguâ expreſſâ oſtēdentes: NOS MAVRISI SVMVS QVI FVGIMVS A FACIE IEHOSCHVHÆ FILI NVNIS PRÆDATORIS. *Hoc tamē teſtimonium verum quidē puto, ſed non ſtatim in principio imperij Mauritanici poſitū, quippe cùm tunc paternis hieroglyphicis litteris vterentur. Et ſanè id quod mente & oculis iam dudum veſtigo, adeò intentè quidem vt vix magis amiſſam filiam ſuam mammoſa olim mater, illud hiſce hiſtoriæ faculis iam illuminatus cernere videor, adeò vt fidenter adfirmare auſim, horum ducem Atlantem fuiſſe, eumq́; poſtea ab ipſis, cùm Mauritaniam tenerent, in Regem electum: ac tunc diſciplinas auitas ipſum excoluiſſe, ſphærámque cæli effigiem confeciſſe. vnde poſtea poëtæ, & mendaciſſimi Græci, cæli geſtationem ipſi affinxerunt. Iehoſchuha autem Tzidonem, à piſcium vbertate nuncupatam* (nam piſcem Phœnices TZIDON vocant) *non expugnauit, ſed anguſtis eius limitibus*

Lib. 2. de bello Vandalic.

Iuſtin. lib. 18.

mitibus Phœnicum imperium circumscripsit, cùm antea longè latéque in Cenahhan extenderetur.

Phœnices autem cùm nauigatione pollerent quidam eorum variis casibus acti regna externa condidere, philosophiámque in altas regiones transtulere. Cadmus enim Thebanorum in Græcia: lectissima heroina Elissa (post mortem DIDO *id est virago dicta, ob mortem virili ausu sibi illatam.) Karthaginensium in Africa regnum fundauit. Illa enim cùm insidiis, ob summas opes quas habebat, à fratre Pygmalione rege Phœnicum peteretur, clam cum opibus fugiens anno Mund. 3077. ante Romam conditam anno 144. in Aphricam appulit: ibíque exili insulâ Cothone occupatâ, in eius portu consedit, locum muniens, vt arx belli sibi esset aduersùs Aphros, à quibus continentis aditu arcebatur. Donec tandem, nono post discessum à Pygmalione anno, in continentem euasit, per insidias captâ maritimâ vrbe Tharsi, conditâ à nepotibus Gomer filij Iaphet, quam* KARTHADAM, *id est dimidiam ciuitatem, ob mediam Phœnicum partem eò translatam appellauit. Et hinc ausim asserere, annuente fide, linguam Punicam Hebraicæ idioma effectam hac gentium commixtione ac combinatione. Phœnices enim Iudæis contermini Hæbraicè loquebantur. Hi autem Phœnices Elisse comites transtulere Karthaginem philosophiam iam excultam. Cui magnum*

Seruius.

Strabo.

Arias Montan. in antiq. Iudaic. Plutarchus in Scipion.

Et in hac sententia Augustinus fuit, vt ex pluribus eius locis liquet.

Lib. 7. de Iudicio & Prouidentia Dei.

gnum adfert argumentum Saluianus, dum dicit Karthaginem habuisse scholas artium liberalium, philosophorum officinas, morúmque gymnasia.

Nunc ad alterum Phœniciarum disciplinarum propagatorem Cadmum nostra refluat oratio. Hic filius Agenoris regis Phœnicum, qui frater erat Ægypti & Danai, filiorum Beli, ex Thebis Ægyptiis, vbi apud consanguineos enutritus fuerat, Tzidonem venit, regnúmque adeptus est anno Mund. 2507. licet Græci falsò antiquiorem eum faciant, vt ipsorum doctrina vetustior censeatur. Cùm autem fortè fortuna Cadmi soror Europa ad littus Serapiæ ciuitatis, inter Tyrum ac Tsidonem sitæ, deambularet, à Cretensibus qui mercatum eò venerant, speciosâ eius formâ inescatis, rapta est anno Mund. 2517. & Cretam naui auecta, cuius prora candido tauro insignita erat. Vnde postea Phœnices à Ioue, in candidũ taurum mutato, raptam finxere. Et numisma virginem tauro insidentem ostendens in eius honorem cudere. Verùm Cadmus casum sororis grauissimè ferens, nec raptores qui essent, quóve abiissent sciens, instructâ validâ classe mari se committit, raptores indagaturus. Cúmque varia maria terrásque plurimas circulatus esset, nec vsquam sororem reperiret, Delphos tandem de ipsâ oraculum perconaturus contendit.

Ephemerides de rebus Cretensibus.

*Ouid. l. 3. Metamor. Cadmi historiam enarrás, ex Musæi Titanographia, & Callimacho de vrbibus.

* Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in aruis,
Nullum passa iugum, curuique immunis aratri:

Hac

Hac duce carpe vias, & quâ requierit herbâ
Mœnia fac condas ———

curiosam autem sororis indagationem omittas. Tam inexspectato responso Cadmus

Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit, — Virgil. Ae. 2.

multa super Oraculo cogitans, celerem animum nunc hùc nunc illùc diuidens, in partésque rapiens varias, & per omnia versans, donec tandem

Hæc alternanti potior sententia visa est, — Idē Ae. 4.

iussibus diuinis vt obtemperaret, neu negligentia exitialem numinis iram in se concitaret. Egressus igitur delubro & iter per agrum Phocensium faciens, bouem ex armento Pelagontis obuium habuit ad fontem Thuriū, à Phœnicibus ita à boue dictū, quem illi תור THOR *nominabant. Qui cùm non procul à Cephiso flumine procubuisset, Cadmus diuinis iussibus patientiam accommodans bouem sacrificat Palladi Ogæ, seu Oggæ, vel Ongæ, id est meditabundæ, (* הוגה HOGÆ *enim meditantem Phœnicibus signat) & vrbem ibi condit, (tempore règis Ægyptiorum Parhonis Menophis, & ducis Israëlitarum Othonielis) eique nomen Thebarum, à patria sua Thebis Ægyptiis, imposuit.*

Plutarchus in Sylla. Nicander in lib. de Europa. *Herodot. lib. 5. Idē Ibid. * Hinc *Græci præcontati cur nomina litterarum per casus non variarent respōdebāt ipsas earumq; nomina barbara esse.*

*Vt autem in Græciam Phœnices, ita & ipsorū disciplinas & literas * Cadmus transtulit primus, ** quæ apud Græcos antea non erant: *fueruntq; pedetentium succedente tempore per vniuersam Græciam diffusæ. Sensim*

* Idem. Ibid. *autem eas Græci mutantes, tandem * proprias sibi vendicarunt. Ad cuius illustrationem, radium historicorum sol Herodotus allucet.* Ibid. *Refert enim se vidisse apud Thebas Bœotias in Ismenij Apollinis templo, literas Cadmeas in tripodibus incisas, magna ex parte consimiles Ionicis : quorum tripodum vnus hoc habebat epigramma,*

Obtulit Amphitryon me gentis Teleboarum.

Idem. Ibid. *Hæc oblatio accidit circa ætatem Laij qui fuit filius Labdaci, nepos Polydori, pronepos Cadmi. Alter tripus hexametro carmine aiebat,*

Ibid. Scæuus in assueto pugilum certamine victor
Me tibi sacrauit speciosum munus Apollo.

Sceuus hic Hippocoontis filius fuerit siquidem hic est qui tripodem dicauit, & non alius Hippocoontis filij nomen habens, circa ætatem Ibid. *Oedipodis Laio geniti. Tertius tripus & is hexametro carmine dicebat,*

Laodamas ipsum tripodem suâ in vrbe monarchus,
Hoc insigne decus tibi magne dicauit Apollo.

Sub hoc Laodamante Eteoclis filio, qui monarcha fuit eiecti sunt Cadmei ab Argiuis, Encheleásque se cōtulere. Hoc sole fumum fugamus ex quorundam tenebrionum animis, qui ante Homeri ætatem Græcos literarum vsum ignorasse pertinaciter contendunt. O cæca pectora! O mentes Cimmeriis, vt aiunt, tenebris atriora! quin non tantùm assero vsos literis ante Homeri ætatem, verùm etiam ipso belli Troiani tēpore, iisq; puris Phœniciis non-

dum Græciæ vindicatis. Ad cuius illustrationem radium ab ipso illo tenebroso Troiano æuo allucet mihi Dictys Cretensis scribens: Singuli in tabellis, quas ad delegendum belli principem, qui cuique* videretur, acceperant, Punicis litteris nomen Agamennonis designant. Ita consensu omnium, secundo rumore, summam belli atque exercitus in se suscepit. *Quid, an non clara hæc & expressa verba, imò ipso quòd dicitur Solis radio scripta? Mittite igitur dubitationem, & tandem hac anchora fluctuantem in antiquitatis hoc freto nauem iudicij sistite.*

Lib. I. de bello Troiano.

* id est Phœniciis, iisdem enim & Phœnic. & Pœn. tunc literis vsi.

E Græcia in Italiam litteræ Cadmeæ gradum fecerunt, ab Euandro Arcade eò translatæ anno Mund. 2730. post Cadmi aduentum anno 110. Lini Thebani Herculis præceptoris celebritatem anno 24. Orphei Thracis 32. ante cladem Troianam anno 43. vel vt Dionys. Halicarnassæus computat anno 60. Hic enim Euander* profugus ex Peloponeso, authoritate magis quàm imperio, *in ea Italiæ loca quæ Tiberi contermina sunt, regiam dignitatem obtinuit.* Venerabilis miraculo litterarum, rei nouæ inter rudes artium homines. *Vnde & ab* Ausonio Cadmi *Nigellæ filiæ dicuntur. *Creberrimæ autem à Græcis in Hesperiam Coloniæ tunc ductæ fuere, vndè & eius pars maximè Græcorũ Coloniis frequentata, magnæ Græciæ nomen acquisiuit. Postea autem ab ipsis Italia appellata, ob egregiam*

* Lib. 1.

Liuius Decad. 1. Lib. 1.

Idem. Ibid.

* tanquã antiquæ orientis filiæ. Cadmus enim Chaldaicè Orientalẽ & antiquum sonat. Quod nomen à Græcis ei inditum quod prisc is temporibus ex Oriente litteras in Græciam transtulisset primus. Hellan. c.

vitulorum ibi prouenientium proceritatem. quam etymologiam & Varro sequutus est.
Timæus. Herodot. Nam Italus Græcis vitulum signat.

Abraham cùm iam apud Phœnices aliquot annos commoratus esset, atrocissima fames totam regionem inuasit. Ex rumore autem percipiens Ægyptum alimentis affluere, eò cum familiâ vniuersâ haud grauatè proficiscitur. Acceperat enim Philosophiæ nitore Ægyptum fulgere. Venit igitur ad regem Ægypti Pharethatem summo Philosophiæ amore flagrantem ac prurientem. In cuius recordationem nunquam sine summâ admiratione regredior, tantum regem cursum rectum in vndoso illo regiæ licentiæ mari tenuisse, & in summâ fortunâ non abreptum voluptatum ventis. Ad hunc igitur venit, plurimaque ei adhuc incognita
Artapanus. Astronomiæ præcepta tradidit. Quamobrem & summo in honore ac amicitia ei conuixit in metropoli Ægypti, Heliopolis Ægyptiis, Græcis
Diod. Sicult. lib. 2. Rer. antiq. cap. 2. Thebæ dicta: cotidiè cum sacerdotibus (penes quos cura erat informis Philosophiæ, ac imprimis matheseôs, quam ab Hermete Trismegisto auditore Noachi ac Chusi pædagogo, eiúsque liberorum Isidis Osyridisque postea præfecto, & ab Asclepio eius discipulo acceperant.) de naturæ siderumq́; cognitione sermones cadens, ipsósque plurima edocens, ac Arithmeticæ co-
Nicolaus Damasc. Lib. 4. Historiar. gnitione, cuius antea rudes erant, imbuens, multósque diuinæ sapientiæ thesauros ipsis largiens. quod per nebulam veluti cernens Aristoteles,

stoteles, in Mysticâ Philosophia scribit. Sapientes Ægyptij & Babylonij acumine mentis introspexerunt intellectuales mundi species, complexi scientia aliunde tradita vel à se ipsis inuenta, quam etiam professione ipsâ sibi vendicarunt. *Et idem inculcãs, verè, Veritatis exoser, Apollo respondit,* Lib. 14. cap. 14.

Dura via illa nimis æratis clausaque portis
Quæ viam nobis aperit donatque beatam.
Nec verè verbis facile enarratier vilis
Exponique queat, illùc quæ semita ducat.
Quam primi ante omnes cœperunt tradere pulchras
Qui Nili epotant lymphas, Phœnicibus inde,
Proximaque Assyriis ea vera, sed inclita longè
Gens Hæbrea, illam nouit, notámque recepit.

Apud Porphyr. lib. 1. de Philosoph. respons.

Hæc autem doctrina tam sacra quàm profana ab Abrahamo Ægyptiis tradita, indubiè postea à Iosepho & Iacobo incrementum adepta est. Quorum ille, in Ægypto liberaliter præfecto aulæ regiæ seruiens, ab eius coniuge cæpit adamari: cúmque impudicis eius flagitationibus obsequi renueret, questa marito est de vi suæ pudicitiæ ab ipso illata. Excanduit *dominus, euestigióque in carcerem compingi iubet. Verùm mox occasione somnij Pharonis eiúsque extricatione inde liberatur, secundáque potestate à regiâ in vniuersam Ægyptum donatur. Cumq; iam imperij habenas moderaretur, æquissimas leges, disciplinarum gymnasia, variósque sacerdotum ordines qui sapientiæ scrutationi insudarent instituit. Sexcentáque*

alia ad Philosophiæ Reipublicæq; nitorem sa-pientia excogitauit.

Fluxa autem rerum serie annisque labenti-bus pedetentim vt Ægypti imperium, ita & Philosophia incrementa duxit. Contabescente enim sensim Assyriorum imperio, finibus suis egressi Ægyptiorum reges, magnas in Assyriam expeditiones fecere, ingentémque mundi par-tem victoriis illustrarunt. Sesostres enim ma-ximam Orientis Occidentisque partem subiu-gauit, plurimis in locis à se deuictis columnam statuens, hieroglyphicis litteris hæc verba ex-primentem, HANC PROVINCIAM ARMIS SVBEGIT REGVM RE-GENTIVM REX SESOSTRES. *Alteram ei iungens in bellicosis quidem genti-bus virilibus pudendis insignitam, in effæmi-natis verò sacrâ muliebri cruptâ conspicuam. Quarum columnarũ oculatum testem Her-modotus se in Syriâ & Palestinâ factum dicit. Debellato autem & subacto terrarum orbe in Ægyptum rediens, curru ex auro gemmisque coagmentato triumphans inuectus fuit, qua-tuor regibus à se subiugatis currum trahenti-bus. vnde Lucan. canit:*

Diodor. Sicul. Lib. 1. Rer. antiq. c. 1.

Lib. 10.

Venit ad occasum mundiq. extrema Sesostres.
Et Pharios currus regum ceruicibus egit.

Cúmque vnus regum subinde respiciens ro-tam circulantẽ mirabundus intueretur, quid ita respectaret quæsiuit Sesostris. Respondit ro-tam spectans, Maxime Rex, has rotæ varian-

tes

tes vices eius nimirùm ima ſublata ſummáq; ſubinde depreſſa animaduertens, de Fortuna me ſubiit cogitatio, quæ

——nunquam ſiſtit in eodem ſtatu,
Semper mouetur, variat & mutat vices,
Et ſumma in imum vertit, & verſa erigit.

Auſon. in Epigram.

cuius maxime rex in me expreſſiſſimum intuere exemplar, me

——rapida fortuna, ac leuis,
Præceps regno eripuit, & exitio dedit.

Seneca in Medeâ.

Igitur

Confide regnis, cùm leuis magnas opes
Huc ferat, & illuc, caſus.

Ibid.

Tam modeſtâ admonitione pudore perfuſus Seſoſtres, à regibus deinceps currum duci noluit.

Oſiris etiam cautus & circumſpectus imperator, unde ab Ægyptiis OSIRI *id eſt multoculus dictus, gloriâ bellandi expeditionúmque magnitudine Seſoſtri inferior haud fuit, vt ex columnæ ipſius inſcriptione liquet, quæ eiuſmodi:* Mihi pater Saturnus deorum omnium iunior. Sum verò Oſyris rex qui vniuerſum peragraui orbem vſque ad deſertos Indorum fines. Ad eos quoque profectus ſum qui Arcto ſubiacent, vſque ad Iſtri fontes. Et iterum alias quoque orbis adii partes vſque ad Oceanum. Sum Saturni filius ſenior, germen ex pulchro & generoſo ortum. Neque vllus eſt in orbe ad quem nõ acceſſerim locus, docens omnes ea quorum inuentor fui. *Quin Thules*

Diodor. Sicul. Lib. 1. Rer. antiq. c. 2.

totam Europam peragrauit: vnde quidam censent eum Thulen insulam, tanquam suarum nauigationum terminum, suo nomine exornasse. Verisimilius tamen est ab antiquissimis Baltici littoris accolis id nomen insulæ inditum, quod plaga mundi in Boream vergentis esset terminus, quem THVEL nuncupabant. His & aliis creberrimis longinquis expeditionibus exhaustis, experientia Ægyptij didicere regionum, vrbium, montium, & fluminum situs. Totiúsque orbis spoliorum diuitiis opulenti, experientiaq; dolabra iam politi, asciâ diligentiæ Philosophiam, sapientiæ flagrans studium, in patriâ limare cæperunt. Sesostris enim Asiam, Thules Europam à se triumphatam typis delineari iussit. Moxq; eorum posteri exquisitiori experientia de singulis edocti, totius terræ ambitum ac metas, spatia maris in terram infusi, fluminum ac fontium cursus, regionúmque interualla, & vrbium insigniorum loca depinxere, ac in templis & firmissimis arcibus adseruari curauere, vt cùm alibi tum in Argonautico carmine demonstratur.

Philippus Melanthō in Orat. de stud. veter. philosoph.

Ad sapientiæ autem cultum, Philosophiæq; propagationem, multifariæ sacerdotum collegia, diuersósque ordines Ægyptorum reges instituere. Ingentia honorum & opum præmia in solamen sudorū illis largientes, summamq; libertatem concedentes. Namque à tributis omnibus regio fisco exsoluendis (quæ plurima & maxima erant, quippe quintam omnium

frugum

frugum partem omnibus fisco exsoluentibus se cundùm hanc legem à Iosepho latam, (Quod erit in prouētibus, eius dabitis quintā Pharoni: quatuor autem partes erunt vestræ ad sementem agri, & ad cibum vestrum, & eorum qui pertinent ad familias vestras, & ad cibum paruulorum vestrorum.) *immunitatem largiebantur. Imò non immunitatem tantùm, verùm etiam bonā vectigalium partem: testis Diodor. Sicul. scribens, Ægyptij vectigalibus trifariam partitis, priorem partem largiuntur collegio sacerdotum, magnæ apud indigenas auctoritatis, tum propter deorum curam, tum propter doctrinam quâ plures erudiunt. Erat hoc hominum genus vafrum & versutum, & ad populos non modo suos, sed alienos etiam fallendos maxime instructum ac promptum. Profitebantur hi sacerdotes cœli tempora, rerúmque cunctarum naturas se intelligere. Incantationum variâ ac mirâ specie, & obscuris verborum ambagibus, literarúmque intricatis lineamentis, cæteros in errores multifarios pertrahentes. Vnde Sphingis imaginem ante templa constituebant, innuentes ænigmaticam sapientiam Theologiam suam complecti. Quales Sphinges marmoreæ ex Ægypto aduectæ, in Capitolio & alibi, Romæ etiamnum hodie visuntur. Quare & Octauius Cæsar ob occultationem Sphinge loco signi aliquantisper vsus fuit. Cui hodiè sensile testimonium præbet Sphinx in candidâ vetustâ mar-*

Genes. 47. 24.

Isai. 18. 1. & 19.

Lib. 2. Rer. Antiq. c. 3.

Stob. Serm. 4.

marmorea columna conspicua in altera Symplegadum insula, ante ostium Ponti Euxini quo se in Bosphorum exonerat, cum hac inscriptione: DIVO. CÆSARI. AVGVSTO. L. CLANNIDIVS, L. F. CLA. PONTO. Eandemq́; ob causam Mineruæ, quam Isidem vocabant, simulachrum in Sai vrbe cum hac inscriptione posuere: EGO SVM OMNE QVOD FVIT. QVOD EST, QVODQVE ERIT. ET PEPLVM MEVM NEMO MORTALIVM REVELAVIT. Finxere insuper deorum tot formas quot sunt animalium ex quibus vsus capitur: ideóque eorum carnibus abstinebant, & pastores tanquam sacrilegos & deorum hostes auersabantur. Statuebant & simulacra diis suis frequentissima. Incantationum & auguriorum varia genera, multiplicésque sacrorum ritus excogitabant. Incredibilémque sapientiam congenitam, immensámque antiquitatem iactabant; se hominum primos, nullius in terrâ familiæ, sed fluuij sui semen esse prædicantes, innumeráque alia arrogantiæ ac stoliditatis flatibus turgentia.

Leunclauio oculato teste. Stob. ser. 4. Genes. 46. 34. Exod. 8. 25. Ierem. 43. 13. Genes. 46. 3. 4. Isai. 19. 1. Isai. 23. 20. Isai. 19. 11. Ezec. 29. 9.

Non vnum autem idémque munus cunctis sacerdotibus incumbebat, quidam enim sidera duntaxat sedulò obseruabant: alij ab illis obseruatas varias siderũ dispositiones, cælorúmq; facies diiudicabant; quæq; effecta consectaria traherent indicabant. Alij Physicæ, naturæq; medullis, inhærebant. Magiam alij excolebant,

vt illustri hoc testimonio sacræ paginæ testaretur. Veniens itaque Mosche & Aharon ad Parhonem, fecerunt ita vt præceperat Iehoua: proiecit enim Aharon baculū suum coram Parhone & coram seruis eius, & conuersus est in draconem. Exod. 7. 13.

Tum vocauit etiam Parho sapientes, & præstigiatores, vt facerent ipsi quoq. Magi Ægyptij suis incantationibus similiter. Eius. c. 14.

Et proiecerunt quisque baculum suum & cōuersi sunt baculi in dracones: sed deglutiuit baculus Aharonis baculos eorum. *Quinam autem hi Magi fuerint, aperit Paulus hisce verbis:* Quemadmodum autem Iannes, & Iambres obstiterunt Mosi, ita & hi obsistunt veritati. *Alij Ethicæ & Politicæ dediti Reipublicæ curam gerebant, iudicia exercentes, pœnas prauis, bonis autem Reipublicæq; incolumitati studentibus præmia decernentes. Alij regum res gestas variósque casus, litterarum perennitati committebant. Geometriam, Geographiámque alij tractabant. Denique alij Medicinæ humanæ naturæ instauratrici dediti erant.* Ibid. 15. ad Timot. 2. 3. 8.

Iam agedum iis quæ vnico velut commissu dedimus, singillatim robur addamus. Vtq; primùm primæ vniuersi partis, cæli dico, scrutationis studium tractemus, animaduertendum est reges (tota quippe Ægyptus plana ac campestris cùm esset, nec ad astrorum spatia positionésque scrutandas apposita.) pyramides cælo

æquatas

Proclus Lib. 1. Comment. in Timæū.

æquatas machinas exstruxisse, vt inde sacerdotes per puritatē aëris cælestia sine impedimento speculantes *Astronomiam ad summam perfectionem perducerent. Quo adminiculo sacerdotes adiuti, astrorum ortus & occasus, cæli elementorúmque superiorum insolentes dispositiones ac facies diligentissimè obseruauere. Obseruatas ab illis varias planetarum positiones, cælorúmque vultus, sacerdotes naturalium causarum periti extricauere:* aderantque grauibus in rebus hi semper consilio atque ope regibus, tum astrorum peritiâ, tum verò sacrificiis futura prædicentes. *Quòd innuens canit. Manil.*

Diodor. Sicul. Lib. 2. Rer. antiq. c. 3.

Lib. 1.

——— primique per artem
Sideribus videre vagis pendentia fata.
Singula nam propriâ signarunt tempora causâ;
Longa per assiduas complexi sæcula curas.
Nascendi quæ cuique dies, quæ vita fuisset:
In quas fortunæ leges quæque hora valeret:
Quantáque quàm parui facerent discrimina motus.

Vmbrosæ huic nostræ sententiæ clarorem adfert Diodor. Sicul. scribens, in Babylonem colonos traduxisse Belum Neptuni Libyæque filium volunt: qui sedem vrbi pone Euphratem cùm elegisset, Sacerdotes (hos Chaldæos Babylonii vocant.) qui more Ægyptiorum astra obseruarent: physicos etiā Astrologiæ qui dediti essent instituit. *Dicit Diodorus, Belum secundùm Euphratem duas Philosophorum sectas instituisse, qui more Ægy-*

Lib. 1. Rer. Antiq. c. 2.

re Ægyptiorum Philosophorum philosopharentur: nimirùm vt eorum vnus ordo sidera obseruaret; alter de portentis, variâ siderum positione, cælorúmque vultu ab illis obseruato, indicatis, pronunciaret. In secundo autem libro faculam caliginoso huic loco inserens, scribit de sepulchro Simandij potentissimi Ægyptiorum regis, hisce verbis: Circumibat monumentum aureus circulus, cubitorum trecentorum sexaginta & quinum, crassitudine cubiti vnius: in quo descripti erant per singulos cubitos dies anni, & astrorum ortus atque occasus, quidque ij secundum Ægyptios astrologos prænunciarent. *Vnde euidenter clarescit quod superius dicebamus, nimirùm dispartiti muneris fuisse obseruare sidera, & de eorum accidentibus pronunciare. Inter eos autem Ægyptios qui prædictioni ex sideribus vacabant, emicuit Proteus & Petosiris: vndè de illo cecinit Virgil.* Rer. antiq. cap. 1. 4. Georgic.

——— nouit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, mox quæ ventura trahantur.

De hoc Iuuenal.

——— capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo nisi quam dederit Petosiris.

O sublimes, & altissimi animi Ægyptij! quis dignis laudibus vos se extollere posse confidat? & non potius metuat ne ingenij culpa vestras laudes deterat? Primi vos cælestis cognitionis viam reclusistis, vt

Per vos iam cælum in terris, iam sidera nota, Manil. lib. 1.

Quos primùm infernis licuit cognoscere terris
Munera cælestum. quis enim condentibus illis
Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?
Quis foret humano conatus pectore tantum,
Inuitus vt diis cuperet Deus ipse videri?
Sublimes aperire vias: vnúmque sub orbem,
Et per inane suis parentia legibus astra,
Nomináq. & cursus signorum pandere vires?
Maior vti facies mundi foret, & veneranda
Non species tantùm, sed & ipsa potétia rerum:
Sentirentque deum gentes, quàm maximus esset,
Qui sua disposuit per tempora, cognita vt essent
Hominibus, mundi faciem, Cælumque supernum,
Naturæque dedit vires, seque ipsa reclusit
Regales animos primùm dignata mouere,
Proxima tangentes rerum fastigia cælo.

Lib. 1. fast.

Meritò igitur in eorum laudes effusus quantum potero cum Ouid. exclamabo, vt vniuersa id exaudiat posteritas:

Fœlices animæ quibus hæc cognoscere primùm,
 Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitiísque iocísque
 Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus & vinum sublimia pectora fregit,
 Officiúmve fori, militiæve labor.
Nec leuis ambitio, perfusaque gloria fuco,
 Magnarúmve fames sollicitauit opum.
Admouere, oculis distantia sidera nostris,
 Ætheráque ingenio supposuere suo.

Physici autem variantium caducarum rerum tenebricosos effectus causarum radiis immissis illustrabant, eáque tanquam sacrosancta occultabant. Vnde Ægyptiacus sacerdos

Achoreus Cæsari causam originis Nili expostulanti apud Lucanum, respondet: Lib. 10.

Fas mihi magnorum, Cæsar, secreta parentum
Prodere, ad hoc æui populis ignota profanis.
Sit pietas aliis miracula tanta silere:
Ast ego cælicolas gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, & sacras populis notescere leges.

Ac mox vana veterum Ægyptiorum sententia reiecta, veram proferre incipiens, canit:

Quæ tibi noscendi Nilum, Romane, cupido est:
Hæc Phariis, Persiisque fuit, Macedúmque tyrannis:
Nulláque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, sed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander regum, quem Memphis adorat,
Inuidit Nilo, misitque per vltima terræ
Æthiopum lectos: illos rubicunda perusti
Zona poli tenuit; Nilum videre calentem.
Venit ad occasum, mundiq. extrema Sesostris,
Et Pharios currus regum ceruicibus egit:
Ante tamen vestros amnes, Rhodanumque Padumque,
Quàm Nilum de fonte bibit. vesanus in ortus
Cambyses longi populos peruenit ad æui,
Defectusque epulis; & pastus cæde suorum
Ignoto te, Nile, redit. Non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est. vbicumque videris
Quæreris: & nulli contingit gloria genti,
Vt Nilo sit læta suo. Tua flumina prodam,
Quæ Deus vndarum cælator, Nile tuarum
Te mihi nosce dedit. Medio consurgis ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum;
In Boream is rectus aquis, mediúmque Booten.
Cursus in occasus flexus torquetur, & ortus.
Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis.

Teque vident primi, quærunt tamen hi quoque Seres,
Æthiopúmque feris alieno gurgite campos.
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
Arcanum natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruum te, Nile, videre,
Amouitque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari quàm nosce tuos. consurgere in ipsis
Ius tibi solstitiis, aliena crescere bruma,
Atque hyemes adferre tuas, solíque vagari
Concessum per vtrosque polos. Hic quæritur ortus,
Illic finis aquæ. Latè tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroë fœcunda colonis,
Læta comis Hebeni: quæ quamuis arbore multa
Frondeat, æstatem nullâ sibi mitigat vmbrâ,
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.
In plagas Phœbi, damnum non passus aquarum
Proueheris, sterilesque diu metiris arenas,
Nunc omnes vnum vires collectus in amnem,
Nunc vagus, & spargens facilem tibi cedere ripam.
Rursus multifidas reuocat piger alueus vndas
Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura,
Regni claustra Phyle: mox te deserta secantem,
Quà dirimunt nostrum rubrum commercia pontum
Mollis lapsus agit. Quis te tam lene-fluentem
Moturum totas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? sed cum lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, & præcipites cataractæ,
Ac nusquam vetitis vllas obsistere cautes
Indignaris aquis: spuma tunc astra lacescit,
Cuncta tremunt vndis, ac multo murmure montis
Spumeus inuictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,

Terra

Terra potens, primos sentit percussa tumultus,
Et scopuli, placuit fluuij quos dicere venas,
Quod manifesta noui primùm dant signa tumoris.
Hinc monteis natura vagis circumdedit vndis,
Qui Lybiæ te, Nile, negent: quos inter in alta
It conualle iacens iam molibus vnda receptis.
Prima tibi campos permittit, apertaq. Memphis
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.

Eorum verò sacerdotũ qui Ethicæ ac Politicæ insudabant officium erat iudicia exercere, virtutemq́; præmiorum dulcedine suauem, vitia pœnarum acerbitate amara, efficere. quòd radius Diodori è libro secundo illuminat. Scribit enim ibi legem habuisse Ægyptios de furibus, quæ iubebat eos qui furto animum appellerent, nomen suum apud principem sacerdotum (qui & præsidis obibat munus) scribere; atq; è vestigio ad eum rem furto adeptam deferre: & gemino illos modo quibus res furto erepta erat, apud eundem tempus, diem, & horam rei subiatæ designare imperabat. Hocq; modo facilè inuento furto, qui rem amisisset quarta mulctabatur parte, quæ furi cedebat in præmium diligentiæ, & possessoris negligentiæ pœnam. Vnde quilibet cernat sacerdotibus, Politices studiis consecratis, curam iudiciorum incubuisse. quare miror ego mirari aliquos miriones, in Bybliis ab hisce verti: Asenath filiam Potipherahi præsidis Oniorum. *ab aliis autem* summi Oniorum sacerdotis. *De quâ quæstione cùm plus quàm Metonis annus*

Sicul. Rer antiq. cap. 3

Genes. 46. 20.

ſit, cùm inter interpretes controuerſetur, audebo vt iuriſconſulti priſci loquebantur, ſignare reſponſum, vt interpretes ab hoc nodo, in quo multos iam annos æſtuant liberem. Aſſero igitur hanc Ioſephi vxorem fuiſſe filiam ſummi Oniorum ſacerdotis præſidiſque: quippe cùm ſacerdotis, præſidiſq́, munere, ſummus ſacerdos fungeretur; vt & apud Scythas, qui ſuis philoſophis, Taraboſteſcis, *ſacerdotum, præſidum, regúmq́ officia demandabant. Nec verbum vllum, vt maiorem huic ſententiæ fidem adſtruam addo. Satis ea clara & conſpicua ex ſuperioris teſtimonij Sole, cui lumen non fœneror. vt tamen purior eius ſit ſplendor, radium vnum ex Diodoro affundo is enim ſcribit ſacerdotes vxores duxiſſe, ſed non plures vna: profanos quot libentia, facultatéſq́ ferrent.*

Bonfin. Decad. 1. lib. 2.

Lib. 2. Rer. antiq. cap. 3.

Hiſtoriæ conſcribendi officio ſacerdotum etiam certi ordines apud Ægyptios fungebantur, res geſtas belli togæq́ litteris committentes, & regis cuiuſlibet magnitudinem, naturam, mores, ætatem, geſta, ſcriptis mandantes. *Modus autem id efficiendi ipſis duplex; priſcus, & recens. Antiquiſſimus per hieroglyphicas litteras ſaxis inciſas, apertè de eo Ariſtoteles.* Conceptus animalium ſcribebant, vti oculata fide legimus, in lapidibus per figuras: idem in omnibus ſcientiis artibuſque facientes: quos locabant in templis, tamquam paginas perlegendas, taleſque

Diodor. Sicul. lib. 2. Rer. antiq. cap. 1.

Lib. 14. cap. 24. Myſtic. Chald. Philoſoph.

talesque illis pro libris erant. *Quæ in maiorem clarorem Taciti dat Phœbus, hoc radio:* Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant: & antiquissima monumenta memoriæ humanæ, impressa saxis cernuntur. *Recentior per literas membranis & charta inscriptas. Lucanus eum indicans,* Lib. 11. Annal.

Nondum flumineos Memphis cõtexere Byblos
Nouerat in saxis tantum volucresque feræque,
Sculptaque seruabant magicas animalia linguas

Habebant & bibliothecas quas appellabant sacras; in quibus reposita adseruabant quæ occultari volebant, magnâ pœnâ illis propositâ qui quid eorum in plebem sparsissent. Cui testimonium præbet, apud Heliodorum, hisce verbis Calasiris sacerdos Ægyptius: Me dicente ea quæ sciebam, & quæ de hoc fluuio (*Nilo scilicet*) sacris libris perscripta, solis antistibus cognoscere ac legere licet. *& luculentius liber sacer, tradens cautelam Hermetis de suis libris hac formulâ:* Isti (*scilicet Isis & Osiris*) arcana, ait Hermes, meorum scriptorum omnium agnoscent, & quædam ipsi silebunt: quæ verò ad mortalium beneficia tendunt, columnis atque obeliscis insculpent. *Bibliotheca huiusmodi in Heliopoli, seu Thebis Ægyptius, in Simandij antiquissimi Ægyptiorum regis sepulchro conspiciebatur, cuius fores hoc programma incisum habebant:*

Diodor. Sicul. Lib. 2. Rer. antiq. cap. 1. Idẽ eiusd. lib. cap. 2. Lib. 2. Aethiopic.

Diodor. Sicul. lib. 2. Rer. antiq. cap. 1.

ANIMI MEDICAMENTVM.

Geometriæ etiam maxima incrementa dedere, extimulati confusione terminorum ab annuâ Nili exūdatione. Quod aperit Herodotus scribens, Sesostrem totam Ægyptum fossis ex Nilo ductis irriguam fecisse, soli quadrati æquâ portione virium per sortem data: atque hinc prouentus instituisse impositâ certâ pensione, quam ipsi cotannis soluerent. & quod si cuiusquam portionem alluuione flumen decurtasset, is adiret regem rei quæ contigerat certiorem faciens. Rexque ad prædium inspiciendum mitteret qui metirentur quantò deterius factum esset vt ex residua portione taxatum vectigal penderetur. Hincque orta Geometria in Græciam videtur transcendisse *ope Democriti: qui, vt legimus apud Demetrium & Antisthenem, Ægyptum petiit ibiq; per quinquennium hæsit vt à sacerdotibus Geometriæ scientiam assequeretur. Cui testimonium illustre, & ipso quod dicitur solis radio scriptum, ipse præbet in incerti argumenti libro hisce verbis:* ego multò plures quàm omnes cæteri homines qui iam sunt regiones peragraui: multas vrbes vidi, sapientes etiam audiui; nec quisquam me in demonstratione linearum superare potuit, ne ipsi quidem Harpedonaptæ qui Ægyptiis dicuntur.

In æquinoctis. In successionibus. Euseb. de Præp. euãg. lib. 10. cap. 3.

Apud Euseb de Præp. euãg. lib. 10. cap. 3.

Medici-

Medicinam etiam primi ferè mortalium excoluere, principésq; in eius cognitione viros produxere. Scribit enim Suidas olim sub rege Senuo apud Ægyptios medicum Iachenum nomine claruisse, qui in curandis morbis excellens, hoc nomine longè excellentior fuerit, quòd Ægyptios accensis ignibus pestem depellere docuerit. Vnde & ei cùm vitam cum morte commutasset, templum extruxerint eius cadauer eò reponentes. Quotiensq; pestis violētia Ægyptum infestaret, eidem ibi sacrificantes, deq; igne in altari accenso, per vicos vrbium & regionum ingentes focos accendentes, ac ita squalorem & internecinam vim aëris dissipantes. Hunc pestis pellendæ modum posterioribus temporibus Græci imitati sunt; primúsque Acron Agrigentinus, eúmq; sequutus posteriori æuo Hippocrates, immanem illam tot poëtarum & historicorum monumentis nobilitatam pestis violentiam, quæ tertiam mundi partem deuastabat, hac sollertiâ Græciâ eiecit. Ante autem hunc morem Græciæ illatum, ea apud Græcos vigebat pestis pellēdæ ratio, vt cùm vicus aut ciuitas peste affligeretur, homo deformosissimus, in publicæ noxæ piaculum disquireretur (quòd timidè dicerem, & ambiguus fidei, nisi fidissimi à prisco æuo eius rei testes) quem Pharmacum appellabant. Isq; inuentus ad sacrificium in locum ei destinatum duceretur; vbi tenens manu caseum, placentam, & siccas ficus, cùm priùs septies caprifico, &

Lycrophon in Locride, & Hipponac. in iambis

ſcyllâ agreſti, aliiſq; virgultis ſilueſtribus, in loca ſpeciei perennitati dicata cæſus eſſet, ſupra aceruum lignorum agreſtium in ſcrobe viuus combureretur; eiuſq; cineres pro vrbis, viciue expiatione in mare proiicerentur, Qui mos à Medeâ in Græcia inſtitutus fuit, ad ſimilitudinem expiationis peſtis Conſtantinopolitanæ, perpetim triennali circuitu relabentis: cuius ipſa, loca illa (poſtea Pharmaciæ portus dicta à deteſtando expiationis ſacrificio.) præternauigans cum Iaſone, execranda venenata ſeminaria in puteos quoſdam dimerſerat. Execrandum hoc ſacrificij genus à Carthaginenſibus etiam frequentatum fuit; illi enim in quolibet grauiori Reipublicæ caſu hominem Saturno immolabant, cuius antea proles idem officium præſtitiſſet: is enim mos apud eos vigebat vt

Clearch. Plato in Protag. Lactan. lib. 2. Inſtit. cap. 21. *Horat. epod. lib.

* Impube corpus quale poſſet impia
Mollire Thracum pectora,

candentibus Saturni aduncis aneis manibus imponerent, quæ mox contractæ infando ritu, infantem in Sardonium riſum ſoluebant, donec miſerabili eiulatu, tubis tympaniſque circumſtrepentibus, animam effunderet. Tum Saturni brachiis expanſis in voraginem ignitam comburendus deuoluebatur. Vnde Græci poëtæ commenti fuere Saturni in deuorandis liberis crudelitatem: Tauricúmque ſacrificium, vt lucidè docet Euripides dum Oreſtem ita Iphigeniam percontantem introducit:

Mortuus quodnam ſortiar ſcpulchrum?

Reſpondet

Respondet illa, Opacum terræ hiatum sacro igne flagrantem. *Detestandus hic ritus eò vsq; tandem inualuit apud Carthaginenses, vt in religionem abiret, & hoc velut sacrificio sibi suisque numen propitiare persuaderent: adeo vt lautioris fortunæ liberis destituti, eos ad hoc munus à pauperibus emerent, eâ conditione vt mater blanda ac læta sacrificio interesset, ne sacra numinis maiestas exacerbaretur, vultuosúmque vultum ne indueret, ni pretio priuari vellet. Iacheno autem in medendo cautione afflictisq; restituendis quæ Senui regis filius successit, qui ob egregiam in ægris curandis cautelam* OSIRI, *idest, multoculus dictus est. Huic autem artis præstantia ac imperandi dexteritate par filius* Orus *successit: eiq; longo ordine plures curãdi celebritate illustres. Præter alia autem Ægyptiorum medicorum officia hoc egregium erat, quod cadauera (quippe cùm ea nec terræ, nec igni, consumenda traderent) contra putredinem munirent, laminibus aut imagunculis æreis infartis; quales hodie in Ægypto reperiũtur in cadaueribus è quibus Pissasphaltum factitium, quòd Arabes Mumiam vocant, conficitur. Huic autem artificio, & omni medicæ rei parandæ, materiam ex Galaad comportabant. Perennauit autem Ægyptiaca hæc doctrina, eodémq. in statu immobilis hæsit, ad Alexandri Magni fata vsq;. Eo enim rebus humanis exempto, & sociis regna inter se partitis, cùm Ptolomeo Ægyptus*

Diodor. Sicul. lib. 20. Plutarch.

Arias Mõtan. in antiq. Iudaic.

fortè obuenisset, eique filius Philadelphus successisset, ab antiquo statu decidit Philosophia. Is enim neglecta superstitione Ægyptiorum, ac collegiorum peruetustis ritibus, scholam Alexandriæ aperuit publicam, quam conquisitis vndique libris exornauit: in eiúsque ornamentum biblia per septuaginta interpretes in Græcum sermonem iussit transfundi. Quo sole illustrata Alexandria perpetim postea ab eruditione claruit: licet ab Ægypti flagitiosissimis regibus, & imprimis ab Euergete secundo, grauiter adflicta fuerit: tum etiam à Romanis vehementer exagitata ac lancinata. nam post effrenem licentiam gentis ægyptiæ compressam, & abrogatas leges patrias, atq; celebratissimi anni vsum abolitum à Diocletiano, studiorum tamen lumen haud fuit exstinctum imò postea splenduit doctrina euangelij, cuius in eâ vrbe salutiferum semen primus sparsit Marcus euangelista, Petri ex sorore nepos. & fouit hæc vrbs conseruauitque disciplinas, pœnè in eodem vestigio, vsq; ad Saracanicos motus. Cùm enim tandem Mahometicus furor occupatâ magnâ parte Orientis in Ægyptum etiam peruenisset, & Saracænica potentia nouæ superstitionis progressu inualuisset, armis Saracenicis capta ac deleta, ecclesiæ & honestarum disciplinarum domicilium esse desiit. Verumtamen ne tunc quidem omni spe recuperandi pristini decoris excidit: quamquam & illiberali seruitute, ac deformi barbarie opprimeretur.

Nam

Nam cùm deferbuiſſet aliquantulum bellorum ardor, & armorum furor deſeuiſſet, eiectáque motibus illis ſtudia reuocarentur, colíque denuò multis in locis inciperent, tunc & Alexandria authoritate ac imperio Calyphæ cuiuſdam inſtaurata fuit. Etenim in principio Saracenici regni in Ægypto pœnes pontifices, quos Calyphas *nominabant, ſumma poteſtas erat: nimirùm ante Saladinum regem, Bellonæ Virtutique acceptiſſimum: qui moriens, memor humanæ miſeriæ, omnem pompam à funere ſuo remoueri iuſſit, lanceáq; tantum atri coloris detritam tunicam præferri facrificulo præcinente:* Bocatius.

Vixi diuitiis, regno, tumiduſque tropheis,
Sed pannum heu nigrum nil niſi morte tuli.

Et etiam ante Sultanorũ ſucceſſionem, qui Saladini poteſtate ſublatâ regnũ vi rapuerunt atq; ex Mamalucis, id eſt relligionis & profeſſionis Chriſtianæ deſertoribus, legi cooptarique principem inſtituerunt. Ac ab hoc tempore quo à Caliphâ reſtituta fuit, floruit Alexandria Philoſophiâ Arabicâ, quã ex ſchola Maroci oppidi Tunetani ab Almanſore rege extructâ hauſerat ad tempora uſq; Selemi Turcarum imperatoris, qui Sultanorum potentiâ deſtructâ, & Alexandriâ captâ an. Chriſt. 1517. aboleuit quidquid ſupererat ſtudiorum. Heu quo cecidiſti flos ille terrarum, ſol, & ſal gentium Ægypte? libertate, & ſapientiæ cultu quondam fulciſti? nunc lates, barbarie,

& igno-

& ignobili seruitute oppressa. Olim terram à Nilo, ingenia à Philosophiæ pingui nectare irrigua & madida habuisti? nunc macrâ à barbarie arenascis. Antea alta ingeniorum vertice sidera pulsasti? iam in abysso ignorantiæ spurca barbariei te deprimit terrestreitas,

Virgil. Ae. 3. Tantum æui longinqua valet mutare vetustas.

Cùm autē in Ægypto igneâ vi efferuesceret recens æthereum scientiarum nectar angustos Ægypti limites spernēs extra terminos se extulit, ac totum pedetentim terrarū orbem secundâ diluuie inundauit. Hinc enim vi viam faciente Mose in natale solum Cenahhan elabitur, vnde Platone duce in Græciam penetrauit. Inde à pluribus calle strato tenuiore; vt sic dicam, sabulo Sapientiæ, in insulas & Asiam profecta est. Danaóque & Æsculapio semitas Græciam versus aperientibus, patriæ terminos transcendit: ac mox allecta vltrò ab Orpheo, aliísque fidentius progressa est: tandémque impedimentis remotis, viâque regiâ constructâ, duce Pythagorâ, Platone, aliísque Græciæ se intulit: indéque mox Italiam petiit, vnde pedetentim profluens totum terrarum orbem, vberibus Sapientiæ fontibus irrigauit; vt rectè Macrobius Ægyptum artium matrem, Ægyptiósque omnium Philosophiæ disciplinarum parentes *appellauerit.*

Lib. 1. Saturnal. cap. 15. Eiusd. lib. cap. 19.

Moses enim Israëlitas ex Ægypto in Cenahhan educēs, vt ipsos diuina mysteria, sic & disciplinas ab Ægyptiis acceptas, docuit. Fuit enim,

enim, teste Artapano, à Meride Chenephris Ægyptiorum regis filia adoptatus, institutúsque in omnibus Ægyptiorum disciplinis. Ab illo igitur Iudæi acceptas disciplinas pedetentim excoluere. Cúmque indies diuinæ scientiæ cultus incrementa duceret, ad imitationem Ægyptiorum, prophetarum collegia instituere; in quibus de Deo, diuinísque prædictionibus philosopharentur, vt colligere licet ex diuersis bibliorum locis. Tandémque peractis certis temporum spatiis, omnes scientiæ & disciplinæ, à Schelomone extremam perfectionem accepere. Ille etenim inter Physicos causarum exactissima cognitione, velut Luna inter sidera minora resplendebat: inter Panaceæ alumnos tantum caput efferebat,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi?

Ethicésque ac Politices cognitione politiorem eo neminem vllæ ab eruditione politæ regiones iactabant. Tantáque ratiocinandi dexteritate pollebat, vt ad intricatissimas quæstiones extricandas famâ ad se alliceret Tyriorum potentissimum regem, & ex intimis recessibus Arabiæ (quàm à Iudæa

Longa procul longis via diuidit inuia terris.) Virgil. Ae. 3.

Sabæ reginam, seu Makedam, vt notant annales Æthiopiæ, ad se pertraheret. Tandem autem variis bellorum, ac discordiæ fluctibus, iactato imperio Iudaico, variè philosophorum sectæ in lucem se extulere: quarum principes, Essæorum, Saducæorum, ac Pharisæorum, circa

an. Mund. 3853. an. à Româ conditâ 621. quo tempore Macbæi claruere, Scipióque de Numantinis triumphauit. Has sectas paucis aperire volens Tertullianus, arctus hisce verborum limitibus includit: Taceo Iudaismi hæreticos: Dositheum, inquam, Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in spiritu sancto loquutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex huius erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresin etiam resurrectionem carnis negare. Prætermitto Pharisæos, qui additamenta quædam legi astruendo, à Iudæis diuisi sunt: vnde etiam hoc accipere ipsum, quod habent nomen digni fuerunt. Cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.

De præscr. cap. 45.

E Iudæa in Græciam scientiæ migrauere. scribit enim Numenius Pythagoricus, in primo de bono volumine, Pythagoram atq; Platonem, quæ Iudæi Brachmaniq. scrutãdo inuenerant, Græcè exposuisse. Alibique refert, nihil aliud esse Platonem, quàm Mosem Atticâ linguâ loquentem. Aristobulus etiam in primo ad Philometra his verbis vtitur: Legem nostram in multis Plato sequutus est. Namque apertè videtur in multis singula diligenter examinasse, Mosaica enim volumina ante Alexandrum & ante Persarum imperium traducta fuerunt, vnde plurima sicut & Pythagoras accepit. *Et Clemens,*

Numam

Numam Romanorum regem Pythagoricum fuisse asserit; Mosaicáque nixum doctrina legem Romanis dedisse ne quis vllâ imagine inenarrabilem Dei essentiam exprimere conaretur. Vnde annis centum atq; septuaginta ab vrbe conditâ, nulla diuina imago neque celamine, nec coloribus, expressa Romæ conspecta fuit. Ac Clearchus in primo libro de somno scribit se Iudæum vidisse à quo maximam rerum cognitionem Aristoteles acceperat.

In insulas autem & continentis oras, incertis auctoribus Philosophia ex Ægypto propagata est. Coloniæ enim veterum Ægypti scholarum præcipuè celebãtur eæ, quæ in Ioniâ, Rhodo, Asiáq; minore cõstitutæ fuere. Rhodia namque schola Ægyptiis antiquitate proxima fuit sitùsq. oportunitate, & cœli ac terrarũ delectabili amœnitate, omniúmq artium, ac imprimis Mathematicarũ, culturâ, cum Ægypto perpetim certauit. Ad quæ venustè Pindarus alludens, finxit Iouem Rhodiis aureo imbre pluisse, quòd primi in Europâ æditam à se Mineruam excepissent; ac decretis de cultu æditis coluissent sacrificiis, nullo tamen adhibito igne: quem quòd Athenienses postea addidissent, Mineruam Athenas prætulisse. quod scilicet Rhodij occupati studiis grauioribus, peruestigandorum motuum cælestium, minori ardore quàm Athenienses eloquentiam exercerent; licet inter tria rhetorum genera Rhodij etiam recenseantur. & mihi omninò fit verisimile Colos-

sum

ſum Solis, qui inter ſeptem mundi miracula reponitur, non ob aliam cauſam in tantam cælo minacem magnitudinem eductum fuiſſe, quàm ob cæli ſiderúmque contemplationem.

Ex Ægypto verò in Græciam Philoſophia migrauit, primùm quidem non toto agmine, ſed catervatim diſpartitis tẽporibus, diuerſiſq; ducibus, Cecrope nimirum, Danao. & Æſculapio. Quorum illi rudẽ & rubiginoſam quandam Philoſophiæ formam indubiè Græciæ intulere: hic autem à cultu ſcintillantem Medicinæ ſcientiam, primus Græcorum ingeniis oſtendit. Cecrops enim ex Ægypto profectus, in Atticâ regione regni moderamen adeptus eſt, gentem barbaram, legúmque moderaminis neſciam Ægyptiacis legibus intra virtutis honeſtatiſque lineas coercens; connubiáque conſanguineorum, & fœminarum promiſcuas vſuras, abhorreſcere docens. Vndè poëtæ poſteà duplicis naturæ ipſum fuiſſe commenti fuere, quod virilem fœmineámque in Atticâ antea diſſociatam naturam combinaſſet. Danaus autem Rhameſis Ægypti regis frater, in Græciam anno poſt occupatam ab Hebræis Cenahhan. 393. claſſe aufugit, quâ Argis appulit; cuius ſceptra Gelanor, Stheleni filius, geſtabat. Quem ſolio deiicere Danaus nitens, ad populi iudicium citat: vbi ambo pro virili ſummâ contentione cauſam agentes, in poſterum diem, cùm æquè æqua dicere viderentur, à populo reiiciuntur.

Poſte-

Postera cùm primo stellas oriente fugarat
Clara dies, Virgil. Ae. 5.

ecce lupus in gregem boum ad pomeria pascentium incurrit: cæpítque cum duce gregis tauro depugnare. E vestigio Argiui ineptissimâ similitudine tauro similem Gelanorem, lupo Danaum, dixere: gemino etenim modo ut bellua illa cum hominibus enutrita non erat, ita nec secum Danaum. Cùmque lupus taurum confecisset pro Danao calculos dedere. Gelanorémque solio & solo eiecere. Hoc modo Danaus regni moderamen adeptus, statim à Cadmo doctrinam litterásque quondam Græcis traditas, tunc autem partim barbarie natiuâ gentis, partim eò quòd non satis apertâ ac diligenti institutione traditæ fuissent, abolitas, restituere ac in arenam publicámque lucem protrahere cæpit, ut apertè Dictys Cretensis lib. 5. his verbis docet: Hæc ego Gnosius Dictys comes Idominei conscripsi, oratione eâ quam maximè inter diuersa loquendi genera consequi ac comprehendere potui, literis Punicis à Cadmo Danaoque traditis. *Ne autem ullus scrupulus animo de patriâ hæreat, ipsum nomen ad examen deducas, & externum non inquilinum Græciæ fuisse deprehendes. Chaldæis enim* Danai *iudices,* Dar, *habitare,* Dardania *iudicium habitationem,* Danaus *iudicem signat. Quod hic nomen adeptus, ob municipali Græcorum iuri ingens ex Ægyptiacis legibus datum incrementum.*

* id est Phœniciis, iisdem enim utraque gens tunc usa.

Æsculapius verò filius Apollinis, illius qui, cùm multa Medicinæ adiecisset, eam inuenisse ab Ægyptiis dictus fuit, (more tunc vigente vt quisquis præclaro additamento artem aliquam auxisset, vel aliâ ratione illustrasset, ita eam excogitasse, primúsque reperiisse diceretur) vt ipse apud Ouid. ita canens confirmat:

Lib. 1. Metamorph.

Inuentum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Is inquam Æsculapius ex Ægypto in Græciam transferens Medicinam, vt ipsius pater præcedentium, ita ipse patris omniúmque antiquorum inuenta sibi vendicauit: vt ex hoc oraculo à diabolo sub nomine ipsius edito, luculenter lucet:

Proph. lib. de Philos. Respons.

Natus ego ex sacra Tricca, cui tota medendi
Ars, cui sese omnis pariter sapientia debet.
Quem mater peperit compressa ab Apolline, magnum
Illum Æsculapium, diuûm numeróq. receptum.

Quin & nomen ipsum Æsculapij non Græcum sed alienigenam fuisse indicat: est enim prorsus Ægyptium quidquid Græci comminiscantur: conflatúmque est ex Æ S C H, *&* K E L E P H. *Quorum illud capram, hoc canem signat; quasi Capricanem dicas. Hoc nomen assequutus est, quod caprillo lacte ad vires ægrorum restaurandas vteretur, canis autem lingua ad externorum vlcerum medelam. Quod postea Græci fabulæ inuoluentes, ipsum à capra lactatum, à cane autem custoditum, finxere.*

finxere. Tanto successu in Græciâ medicinam fecit, vt cùm in animi deliquium incidisses Hippolyte, eius ope vulgò crederentur

——vitalem tibi bis decurrere campum,
Et reditum a meta fata dedisse nouum;

Siti pecuniæ summâ tenebatur: vnde cecinit Pindarus:

Aurum illi nimium prætiosáque munera curæ,
Horrendâ inde pater diuorum concitus irâ,
Contorsit fulmen animámque è corpore vulsit.

Huius posteri auitæ professionis possessionem, quasi per manus hæreditaria possessione acceptam à maioribus retinuerunt, succedentibus in vestigia parentum liberis, annis amplius mille ducentis. Instituto dubio procul & consilio Æsculapij, qui alligationem studiorum ad suæ familiæ posteros, velut in Ægypto ad collegia sacerdotum, prospexit profuturam esse vindicandæ tuendæq; puritati doctrinæ, ac arcendis & amoliendis occasionibus nouarum corruptelarum. Filios reliquit Podalyrium crassum, valentem, superbum, tristem: *atque Machaonem*, magnum, fortem, prudentem, patientem, misericordem. *Qui ambo expeditioni Troianæ interfuere: eorum antè alter ab Euripylo Telephi filio interfectus est: alter Podalirius, cùm Ilio diruto domum nauigarent Græci, tempestate Scyron appulsus, quæ in continente Cariæ vrbs est, ibi consedisse traditur, imperij curâ depositâ; quòd Græcia partim latrociniis, partim bellorum flagran-*

Dares Phryg. Idem.

tiâ, flagraret. Scholámque ibi aperuit, artem paternam docens, eámque in rem traducens. Ex qua posteriori æuo coloniæ scholarũ medicarum tres deductæ fuere: nimirum Rhodia, Cnidia, & Coa. Quæ æmulo studio amplificandæ artis diu certauere: donec tandem Coa celebrium artificum numerô, scriptorúmq; splendore (quamuis nec sua Cnidiis sententiis defuerit dignitas) reliquas offuscauit. Illa enim genuit, aluit, docuit Hippocratem, virum in quo artem laudare iniuriam virtutibus esset inferre, virtutes extollere artem esset depretiare; hunc inquam docuit, decimum septimum hac ab Æsculapio serie: Æsculapius, Podalyrius, Hippolochus, Sostratus, Dardanus, Cleamitides, Crisamis, Theodorus, Sostratus alter, Crisamis alter, Theodorus alter, Sostratus tertius, Nebrus, Gnosidicus, Hippocrates, Heraclides, Hippocrates Magnus. *Vltima autem eius lumina post Hippocratem, reperio Praxagoram, & Aristotelem; cum quibus & eius gloriæ radij cecidere, vel deficientibus, vel degenerantibus posteris, vel exteris alieníſque in eam adſcitis: qui cùm à primis ætatis temporibus in hac arte educati non essent, nec eius principia velut cum lacte nutricum suxissent, firmissimis rationibus nixam, ignorantiâ & malo altercandi ambitu, fœdissimè delumbarunt. Donec tandem à Galeno pharmaco certissimarum demonstrationum, pristinæ integritati restitueretur. Theo-*

logiam

logiam autem Philosophiámque ex Aegypto Graciæ Orpheus, Lini discipulus, contubernalisque Herculis, intulit. Is enim cùm Aegyptum doctrinæ gratiâ petiisset, ibique plurima Sapientiæ præcepta addidicisset, in Graciam reueniens fabulis cuncta ad maiorem admirationem inuoluit, mira ac fidei exhorrescenda fingens: vnde Plutarchus scripsit. Prisca quidem tam apud Græcos, quàm apud barbaros, Theologia, naturalis erat ratio fabulis inuoluta, occultè ac mysticè veritatem subaperiens doctis; quòd carminibus Orphei, & Ægyptiorum sacris, & Phrygiâ doctrinâ comprobatur. in lib. de Dedalo Platæens.

Solon etiam & Lycurgus leges Graciæ intulerunt primi ex Aegypto, vbi docentem Sonchitem Saïtem audiuerant: à quo, cùm eneruε antiquitatis robur iactarent, risu excepti fuere. Ante horum enim tempora constitutiones, principúmque mandata quædam nouerant duntaxat Graci, genuinæ legis prorsus insolentes. Vnde ne vestigium quidem nominatæ legis in omnibus Homeri scriptis reperias. Hinc eorum alter nomen adeptus est Pacifisi, id est Solonis, id enim Chaldaicè pacificum denotat. Ioseph cõtra Apion.

Pythagoras autem, & Plato Solonis consanguineus, (quorum alter naturæ erat lingua, alter altera natura, sed eloquentissima) septémque sapientes, siti & fame disciplinarum detentam Graciam, vberrimâ mensâ lautissimarum disciplinarum ferculis instructa, nectaréque

ſcientiarum diuino ex Aegypto vſq; aduecto, refertâ, ſatiarunt.

Pythagoras enim ex lectionibus Pherecydis Syri, Hermodamantiſque, magnis ſapientiæ incrementis firmatus, primò in Aegyptum profectus eſt, per litteras à Polycrato Amaſidi regi commendatus: vbi hauſtis ex ſermonibus Sonchedi, Onupheíque Heliopolitæ, aliorúmque ſacerdotum (quibus ſingulis ſingulos, argenteos largiebatur ſcyphos, quos propriâ manu in Leſbo fabricatus fuerat) intimorum naturæ receſſuum fontibus, ceremoniarumquè incredendis potentiis, numerorum admirandis vicibus, & Geometriæ ſollertiſſimis formulis: *tanto cùm ardore ac diſcendi flagrantia ea apprehendit, vt vniuerſam philoſophandi rationem, ad eorum in philoſophando normam poſtea dirigeret; ſymbola, ac myſteria quædam recondita, dogmatibus ſuis miſcens, quæ ſimilitudinem faciémque hieroglyphicarum litterarum præferebant: quale eſt illud,* Ignem gladio ne fodito, *id eſt potentium iram ne irritato.* Cor ne comedito, *id eſt animum caducarum rerum curis ne torſeris.* Mox autem ex Ægypto Babylonem ad perdiſcendos ſiderum motus, originémque mundi ſpectandam profectus, ſummam ſcientiam conſequutus eſt. *Vnde regreſſus, Cretam & Lacedemona, ad cognoſcendas Minois & Lycurgi inclytas eâ tempeſtate leges, contendit. Quibus omnibus inſtructus*

in pa-

Diogen. Laert. in eius vita. Iuſtin. lib. 20.

Diogen. Laert. in eius vita.

Apul. lib. 2. Florid.

Iuſtin. lib. 20.

in patriam Samum reueniens, eam Polycratis tyrannide oppressam repperit, quamobrem eam exosam relinquens, quod nullum sibi in quem excurrere virtus cognoscique posset campum aperiret, Crotonam venit. Venit, inquam, Pythagoras ipsis Gratiarum manibus ad omnium voluntates deuinciendas factus, populúmque à virtutis viá in Luxuriæ callem delapsum, mellitis rationum globulis in frugalitatis gyrum reuocauit. Luxus exitiales calamitates exemplo funeratarum hac peste ciuitatum ostendens, ac genitricem virtutem omnium frugalitatem omnibus ingerens. *Quibus tandem tantum consequutus fuit, matronæ* Iustin. lib. 20.

Vt picturatas auri subtemine vestes, Virgil. Ae. 3.

cæteráque effrenis luxuriæ pabula, Iunoni dedicarent, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse, *confitentes. Trecentósque, vel vt Diogenes Laërt. vult, sexcentos, ex totâ iuuentute sibi delegit adolescentes, cum quibus per amica Musis silentia nocturna, naturæ siderúmque vacaret contemplationi, mollem ac teneram eorum ætatem Sapientiæ quasi lacte nutriens. Quod mali præsaga sinistra magistratus mens, in malam partem interpretata est, suspicionémq. clandestinæ coniurationis fouit; cúmq. per speculatores conuentus solemnem horam locumque didicisset, eo furibundus accurrit, magistratus ingens agmen armatorum trahens: quorum alij è vestigio* Iustin. lib. 20. Idem Ibid.

Virgil. Ae. 8. Armati circumsistunt ipsúmque domumque,
Idem Ae. 2. Limina perrumpũt postésque à cardine vellunt,
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant:

adeo vt dirutâ domo sexaginta trucidarint, reliquis dilapsis, qui in exilium abiere. Ipse è medio tumultu, nulli visus,

Idẽ Ae. 5. Effugit & ventis & fulminis ocyor alis

in Metapontum, vicesimo postquam Crotonam venerat anno, vbi tantâ cum veneratione admirationéque vixit, vt ei postquam vitam cum morte commutasset diuinos honores decernerent, ædesqúe quas inhabitauerat, vt sacrosanctas, in ædem verterent. O vos scelerati Crotoniatæ, à numero hominum seponendi, ex omni monumentorum memoria reuellendi! conseruatorémve, imò ipsam vestram Salutem Pythagoram, qui vobis Salutem, vosque Saluti, cùm vix ac ne vix quidem ipsa Salus saluti vobis esse poterat, reddidit: eumne tam fœde vrbe eiecistis? Reipublicæne vestræ virginitatem illum appetere in animum inducere potuistis, cui antea vxorum filiarúmque pudicitiam commiseratis? O curuæ mentes quæ de adeò sincero ac recto tam curuá! Credite mihi, hoc robore animi, atque hac indole continentiæ fuit, vt qui in eo integritatem atq; abstinentiam laudibus extollat, summam non tantùm iniuriam, verùm quod caput est, grauissimam maximis virtutibus iniuriæ securim infligat. Confiteor nocturnos cœtus contra receptum Rerumpublicarum morem instituit,

tuit. at non instituit in dispendium Reipublicæ, verùm ad veræ fœlicitatis scopum attingendum, compendium. Adeò vt nullus hodierno die de meliori luto factus vitali aurâ fruatur, qui non exoptet & summis votis deposcat, vt sibi, si fieri posset, liceat vnicam tantis sapientiæ delitiis rorifluam noctem, anno vno de consequentis vitæ suæ spatio adempto, redimere. Hic enim altissimo siléntio,

——non sordibus auctor
Naturæ verique, Horat. lib. 1. Carmin. de Pythag.

magna cum maiestate, summóque decore, Naturæ penitos scrutabatur recessus, per vias à sollertissimis Ægyptiis ostêsas, Babyloniorúmque illustri doctrina illuminatas. déque animi immortalitate, eiúsque orbe per huius orbis corpora, sententiam aperiebat; quam ipse ab Ægyptiis didicerat, illi à Brachmanis, vt Iarchas Brachmannorum princeps apud Philostratum testatur. Lib. 3. cap. 6. De vita Apollon Tyanæi. *Abstrusa námque rerum primordia, naturæque obscuros effectus face sagacissimi ingenij illuminatos, in clarâ luce conspiciendos dabat. Vnde Ouid.*

——Isque cæli licet regione remotus
Mente Deos adiit: &, quæ natura negabat Lib. 15. Metam.
Visibus humanis oculis ea pectoris hausit.
Cumque animo, & vigili perspexerat omnia curâ,
In medium discenda dabat, cætúmque silentum
Dictaque mirantum magni primordia mundi,
Et rerum causas, & quid natura docebat.
Quid Deus, vnde niues, quæ fulminis esset origo.
Iuppiter, an venti discussâ nube tonarent.

Quid quateret terras: quâ sidera lege mearent.
Et quodcumque latet.
Animum humanum per corpara huius mundi circulare dicebat, quódque certo temporum circuitu, perambulatis multifariis corporibus, humanum tandẽ corpus rursum subiret: huncq́ rerum remeantium orbem, quam diu erit ipse orbis, perennaturum. Hinc parricidium esse animalia necare asserebat, scelúsque sceleratam ingluuiem sanguinolentis animalium visceribus saturare. vndè

———primusque animalia mensis
Ouid. 15. Metam. Arguit imponi: primus quoque talibus ora
Docta quidem soluit, sed non & credita, verbis:
Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges: sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidæque in vitibus vuæ:
Sunt herbæ dulces: sunt quæ mitescere flammâ,
Mollirique queant: nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.
Prodiga diuitias, alimentáque mitia tellus
Suggerit: atque epulas sine cæde & sanguine præbet.
Carne feræ sedant ieiunia: nec tamen omnes:
Quippe æquus & pecudes, armentáque gramine viuunt,
At quibus ingenium est immansuetúmque ferúmque,
Armeniæ tigres, iracundique leones,
Cumque lupis vrsi, dapibus cum sanguine gaudent.
Heu quantum scelus est in viscere viscera condi:
Congestóq. auido pinguescere corpore corpus:
Alteriúsque animantem animantis viuere leto:
Scilicet in tantis opibus: quas optima matrum
Terra creat: nil te nisi tristia mandere sæuo
Vulnera

Vulnera dente iuuat: ritusq́. referre Cyclopum?
Nec, nisi perdideris alium; placare voracis
Et malè morati poteris ieiunia ventris?
At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen:
Fetibus arboreis, & quas humus educat, herbis,
Fortunata fuit: nec polluit ora cruore.
Tunc & aues tutæ mouere per aëra pennas:
Et lepus impauidus mediis errauit in aruis:
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo.
Cuncta sine insidiis, nullámq. timentia fraudem
Plenáque pacis erant: postquā non vtilis auctor
*Victibus inuidit, (quisquis fuit ille deorum)
Corporeásque dapes auidam demersit in aluum;
Fecit iter sceleri, primóque è cede ferarum
Incaluisse potest maculatum sanguine ferrum:
(Idque satis fuerat) nostrumque petentia letum
Corpora missa neci saluâ pietate fatemur:
Sed quàm danda neci, tā non epulanda fuerunt.
Longius inde nefas abiit: & prima putatur
Hostia sus meruisse mori: quia semina pando
Eruerat rostro, spemque interceperat anni.
Vitæ caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur vltoris. nocuit sua culpa duobus.
Quid meruistis oues placidum pecus, inque tuendos
Natū homines? pleno quæ fertis in vbere nectar?
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis? vitaque magis quàm morte iuuatis?
Quid meruere boues, animal sine fraude, dolisq́.
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demū, nec frugum munere dignus
Qui potuit curui dempto modò pondere aratri
Ruricolam mactare suum: qui trita labore
Illa, quibus toties durum renouauerat aruum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsere Deos sceleri numenq́ue supernum
Cæde laboriferi credunt gaudere iuuenci,

*Ethnicus tenebris sentiens per tenebras hic tangit veritatem.

Victima labe carens & præstantissima forma,
(Nam placuisse nocet) vittis insignis & auro,
Sistitur ante aras: auditque ignara precantem:
Imponique suæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit fruges: percussáq. sanguine cultros
Inficit in liquida præuisos forsitan vnda.
Protinus ereptas viuenti corpore fibras
Inspiciunt: mentesque Deum scrutantur in illis:
Vnde fames homini vetitorū tanta ciborum est?
Audetis vesci genus ô mortale? quod oro
Ne facite: & monitis animos aduertite nostris:
Cúmque boum dabitis cæsorū membra palato,
Mandere nos vestros scite, & sentite colonos.
Et quoniam Deus ora mouet; sequar ora mouentem
Ritè Deum; Delphosq. meos ipsúmq. recludam
Æthera: & augustæ reserabo oracula mentis.
Magna, nec ingeniis inuestigata priorum,
Quæque diu latuere, canam, iuuat ire per alta
Astra: iuuat terris, & inerti sede relicta,
Nube vehi: validique humeris insistere Atlantis:
Palantesque homines passim, rationis, egentes
Dispectare procul trepidósq. obitumq. timentes
Sic exhortari, seriemque euoluere fati.
O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique pericula mundi?
Corpora siue rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non vlla putetis,
Morte carent animæ: semperque priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt habitantq. receptæ.
Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides *Euphorbus erā: cui pectore quondā
Hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ.
Cognoui clypeum læuæ gestamina nostræ,
Nuper Abantæis templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur; nihil interit; errat, & illinc

*Vide apud Philost. lib. 3. de vita Appol. Tyā. cap. 6. Gangæ Indorum regis animam trāsiisse postea in Iarcham Brachmannorū principem; & Palamedis in puerum exosum literas, quod nec propter earum inuentionem ab Homero celebratus, nec ab Vlysse respectus, fuisset.

Huc

Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus? eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster: nec tempore deperit vllo.
Vtque nouis facilis signatur cera figuris;
Nec manet vt fuerat, nec formã seruat eandem.
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem·
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
Ergo ne pietas sit victa cupidine ventris;
Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefanda
Exturbare animas, nec sanguine sanguis alatur.
Et mox, paucis interiectis:
Nos quóque pars mundi (quoniam non corpora solùm, Idem Ibid.
Verùm etiã volucres animæ sumus: inq. ferinas
Possimus ire domos; pecudúmq. in pectora cõdi)
Corpora quæ possunt animas habuisse parẽtum
Aut fratrum, aut aliquo iunctorũ fœdere nobis;
Aut hominũ, rectè tuta esse, & honesta sinamus;
Néue Thyestæis cumulemus viscera mensis.
Quàm malè cõsuescit, quàm se parat ille cruori
Impius humano: vitali guttura cultro
Rumpit, & immotas prebet mugitibus aures!
Aut qui vagitus similes puerilibus hædum
Edentem iugulare potest; aut alite vesci,
Cui dedit ipse cibos! quantum est quod desit in istis
Ad plenũ facinus! quam transitus inde paratus!
Bos aret, aut mortem senioribus imputet annis.
Horriferum contra Boream ouis arma minister.
Vbera dent saturæ manibus pressanda capellæ.
Retia nunc pedicas, laqueosque artesq. dolosas
Tollite? nec volucres viscata fallite virga,
Nec formidatis ceruos includite pennis;
Nec celate cibis vncos fallacibus hamos.
Perdite si qua nocent, verùm hæc quoque perdite tantùm.
Ora vacent epulis: alimentaq. congrua carpant.
Hanc

Politianus in Lamia

Hanc ob causam bestias tam feras, quam cicures, docebat; memoratúrque vrsa Daunia quadam fuisse magnitudine horribili, feritate formidabili, pestis acerba boum, atque hominum; hanc ad se blande vocauit, manu permulsit, domi habuit aliquamdiu, pane aluit & pomis, mox dimisit, adiurans, ne quod animal post id attingeret. Illa verò in montes suos, & siluas abiit mitis, nec animantium deinde obfuit cuiquam. Bouem etiam Tarenti in agro quodam pascuo forte conspicatus viridem adhuc fabaceam segetem morsu truncantem: rogauit bubulcũ, moneret bouem suum ne illam depasceretur: ei bubulcus illudens, Atqui inquit bouatim loqui nescio, tute si scis potius moneto. Non cũctatus accessit propius, & in aurem boui diutilè locutus, impetrauit, non modo vt in præsens, sed vt etiam in perpetuum pabulo fabaceo abstineret. Itáque bos ille Tarenti deinde molliter consueuit, in Iunonis fano sacer habitus, cibisque hominum vesci solitus, quos illi obuia turba offerebat. Cùm autem incredibili studij flagrantiâ cotidiè Physicen excoleret, plurima naturæ arcana, nemini antea comperta animaduertit. Primúsq; Phosphorum cum Hespero eandem esse stellam docuit, Zodiacíque obliquitatem deprehendit. Ante ipsius autem per Græciam diffusas disciplinas, adeò rudes scientiæ naturalis Græci erant, vt Physices nominis omninò insolentes essent. Adeste iam vos Græci & inenarrabilem vestræ Sapientiæ antiquita-

quitatẽ extollits. Abite: cristas ponite, ac discite vestram Philosophiã vix balbutientẽ, ab Ægyptiorum, Babyloniorũ, ac Indorum, depontanâ acceptum per tot sæcula ruminatũ cibum, auidè deuorasse, ac in sanguinem succúmq. suum conuertisse: à quo id quod summum tandem obtinuit robur adepta est. Vnde cecinit ille:

——— Epicuri de grege porcus. Horat.
Denique natura hæc rerum, ratioque reperta Lucret.
Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possum vertere voces.

Et Porphyrius hanc quam tantopere iactat Græcorum Philosophiam fatetur posteriorem fuisse mille annis Mose; cuius ætate Indorum, Babyloniorum, Aegyptiorúmque, maximo fulgore radiabat.

Iam nostra sese vertat oratio ad Platonem, qui ita loquutus est vt ex eius sermonibus omnes quæ consequutæ sunt philosophorum disciplinæ fluxerint: ita vixit, vt hodie quoque nomen eius non hominis, sed integritatis, & innocentiæ nomen putetur. Hic inquam cum Euripide in Aegyptũ profectus est (vnde si per bella Asiæ licuisset Babylonem, Indiámque, adire decreuerat) vbi à Sechnupho aliisque sacerdotibus Philosophiæ præceptis imbutus est: vt Cæsar indicat apud Lucanum ita Achoreum sacerdotem compellans:

———si Cecropium sua sacra Platonem
Maiores docuere tui: quis dignior vmquam Lib. 10.
Hoc fuit auditu, mundique capacior hospes?

rigatus Falerno hoc Aegyptiacarum discipli-narum in Græciam reuenit, benigna id diffun-dens manu: vndè mox ingens incrementum Pythagorica doctrina duxit.

Huic autem succedens discipulus Aristoteles, omnia omnium Philosophorum, Indorum, Babyloniorum, Aegyptiorum, Iudæorum, Persarúmque inuenta, ad humanæ Phylosophiæ lumen facientia, adunauit: & velut iudicij grauitate, ac acuminis sagacitatísque mobilitate, in vnum centrum compulit. Babyloniorum enim doctrinam à Callisthene habuit: Indorum & Persarum ex doctrina Pythagoræ, Democritíque. qui adolescens admodum à Magis (quos ipsius patri Xerxes ad eius institutionem dederat) eam didicit; prouectioris autem ætatis in Babylone & Indiâ ab ipsis eã hausit Chaldæis & Brachmannis. Iudæorum à Platone, & ex ipsorum conuersatione, accepit. Fuitq. ea huius viri eruditio quæ vigebit memoria sæculorum omniũ, quàm omnis posteritas laudibus extollet, quã ipsa æternitas semper intuebitur. Nec ego huius scriptorum dignitatem ab vllâ huius æui ieiuna eloquentia, cuius macra admodum breuitas, crassam parit subtilitatem, sustineri posse putem, non si quater totum hoc sæculum reuiuisceret. & tamen emunctæ naris Curiones hæc admordent, sed admordent tantùm, nam frangent citius quàm impriment dentem. Ea enim haud temerè inuidiæ dens atteret, aut lima, labentis æui. Vtq;

Simplicius

Herodot.

Ioseph. cōtra Apion.

ille apud Comicum eos qui vino vetere vtuntur sapientes putat, sic nos qui antiquâ huius viri doctrina. At proh nefas! vix centesimus hodierno die eum adit, eum legit, nisi vrendi secandique causa. Et quod caput, per callidas argutias eum supplantant, non vt boni pugiles legitimo nexu deiiciunt. Assecla hi Circeæ illius virgæ quæ prima antiquam venenauit Philosophiam, & grauissimam Reipublicæ litterariæ inflixit securim. In horum scriptis flumen verborum vbique videas, mentis vix guttam; cerebrum enim illis omne in linguâ, adeo vt corniculas citius in Aphricâ, quàm res rationésq. solidas in eorum scriptis reperias. Horúmque errores ipsorum discipuli bibunt quasi maternum lac, quod prauum ingenij alimentum tanquam in membra iudiciorum transmutatum, nunquam postea deponere possunt. Adeo vt haud aliter quàm vt eadem purpura homines delectat & ad gaudium prouocat, tauros offendit & irritat ad pugnam: sic eadem huius viri doctrina & veritas, intellegentes capiat, horum improborum & imperitorum animos exulceret. Et boni hi viri huic veritatis alumno, qui ob acumen clarissimus & quasi Africanus inter Philosophos habetur, in cuius officina nihil aliud inuenias quàm constantiæ incudem, malleum diligentiæ, veritatisque ignem: huic, inquam, inequitare ac insultare audent; quasi cuncta nuda ponat, & sine vallo vllo rationis. Imò rident, nugásque agere dicunt,

cunt, veterémq; ludum quem vocant Troiam componere asserunt, currendo, recurrendo, intercurrendo. Verùm cui id mirum? Ambitio enim vbi accessit ad ignorantiam, arrogantiam parit ex inscitia: nullam enim maiorem adferre solet ignaris inscitia voluptatem, quàm expeditum fastidiosúmque contemptum. Credite mihi, abiectè sapiunt hæc qui abiiciunt. quid? quia non capitis idióne carpetis? Vósne tangere Sapientiæ illos ignes posse putatis? liquesceretis. Scandere in illa

Lucret. Ædita doctrinæ Sapientis templa serena?

caderetis. Illud tamē confiteor, quod rationum suarum acumina, quæ non sunt epulæ triuialium ingeniorum, nimis interdum attenuet, & per se obscura, studio interdum profundioribus tenebris immergat. verùm, leuium

Seneca. metallorum fructus in summo est, illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. *Esto, Asianæ dapes non ad gustum eius, Atticæ magis: declamationes ambitiosorum opera, otiosorum cibi sunt, naturæ diuinitatísque cognitione impedito animo; ei breuitati studendum est, quæ res æquet verbis, demonstrationes certas habeat pro nectare. Quin & interdum remouet tenuem nimis subtilémque colorem, & Apelleas, vt sic dicam, lineas. Veneréma; suam inspiciendam etiam præbet vulgo. & id ipsum in illo hi carpunt, O cæca pectora! O mentes Cimmeriis, vt aiunt, tenebris atriores. Discipuli*

puli hi fortaſſis Anaxagoræ, cui viues atramentum fuerunt: prorſus enim infecti ſunt horum animi à Circeâ illâ virgâ falsâ hac perſuaſione, ac penitus fucum illum opinionem perbiberunt. Quamobrem ſicut muſto tempus dandum eſt vt deſpumet: ſic eorum animis vti fœces illas eiiciant opinionum. Hi, vt ignaui canes, Ariſtotelē, ad quem propius accedere non audent, eminus allatrant. Sed vt tela quædam in cælum emiſſa, ire eo videntur, non eunt: ſic illum calumniæ horum petunt, non tangunt. Hic enim Pegaſus in cælum volat, cæteri pedibus terram pulſant. Duæ námque ſunt aquilæ ſolæ in rerum naturâ, altera bellicæ laudis, altera literariæ: illa potentiæ, hæc ſapientiæ: Cæſar, & Ariſtoteles. Verum in defendendo, ac à maligni liuoris dente vindicando Ariſtotele prolixior non ſum, alias illum decurram curſum, nunc ab implicito hoc flexu redeo in veterem viam. Iul. Scaliger in lib. de Subtil.

Ante horum autem in patriâ profeſſionem, nouíque, ipſorum opera, Philoſophiæ iubaris exortum, tanta temporum nox Græciam occupabat, adeóque incultum horridúmque apud Græcos & Romanos Sapientiæ ſtudium erat, vt teſte Quinctiliano, exercitus & duces ipſi Lunæ Solíſq. defectu terrerentur; triduóq. integro poſt eclipſin nihil tentare auderent. Adeóq. vt Anaxagoram quòd de rebus cæleſtibus ſententiam non publici ſaporis pronuntiaſſet, in carcerem detruſerint, vixque ac

ne vix quidē morti subtrahi à Pericle permiserint. Quin & Plutarchus, diligens antiquitatis scrutator, vltra Thesaum, scribit, nihil in historiâ Græcorum videri, præter inexhaustas arenas & inaccessa breuia, regionésque aut rigentes glacie, aut æstu torridas, quales in marginibus tabularum Geographi adiiciunt : id est nihil nisi vanissimas fabulas, aut densissimas ignorantiæ tenebras. Quamobrem cùm Lucretius nullum in Græcorum, Romanorúmque historiis certum principium cerneret, sed omnis historiæ, fabulosæq; narrationis, limitem ac terminum confusionem belli Troiani inueniret; obstupescens, admirabundus exclamauit:

——— Si nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & cæli, semperque æterna fuere:
Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ,
Non alias alii quoque res cecinere poëtæ?

Vnde prisci illi, tenebriones cùm belli Troiani nebulæ omnē ipsis præcluderēt antiquitatis intuitum, quidquid eius lineas transgrederetur, infinitum æternitateq; donatū putauere. Quam sententiam & Plinius fouit, scribens: Litteræ æternæ sunt. *Causam petis?* Quia Ægyptiæ quindecim ante Ninum annos cæpere. *Preclarè: æternas concludit, vndè origenis consortes conuincuntur.*

Plurimos iam reliqui cæcæ antiquitatis scopulos, per quorum sexcētas salebras, & æstuantia vada, peruasi non omninò infœlici, vt puto, ingenij ac iudicij vento, nunc plenis velis

mihi

*mihi inuehi posse videor in portum: breue tantum ſpatium ſupereſt, quod vnâ nec mutatâ velificatione decurram. Babylonij ex quorum diſciplinis ceu ſancto quodam auguſtóque fonte omnis manauit Philoſophia, florente ac in viridi ætate cõſtituto ſuo imperio, fulgidiſſimo Philoſophiæ ſplendore fulſere. Marceſcente autem, ac pedetentim imperitandi maieſtate contabeſcente, ſenſim vnà cum imperij lumine diſciplinarum nitorem perdidere: donec tandem Sapientiæ cultus incuriâ, ac ſuperſtitionis impuræque Magiæ nimiâ curâ, vltrò in ruinam Philoſophiam impulere, ac vnà cum imperitandi iure Perſis tradidere. Qui eam rubigine ſuperſtitionum, ſqualloréque negligentiæ decoloratam, aſcia diligentiæ poliuere: eius curam, vt & reliquæ * gentes, committentes ſacerdotibus, quos Magos patriâ linguâ nuncupabant, teſtante Apuleio:* Nam ſi quod ego apud plurimos lego, Perſarum lingua MAGVS eſt qui noſtra ſacerdos. *Vnde accidit vt cùm à Babyloniis ad Perſas Philoſophia migrauiſſet, iiſdémque tutoribus & nutricibus, vtrobique demandata eſſet, tam Babyloniorum, quàm Perſarum philoſophi, Magi poſteriori æuo dicerentur: vt liquet ex hiſce Philoſtrati verbis, quibus de Appollonio inquit:* Cogitabat etiam Magos conuenire qui Babyloniam ac Suſa incolunt: *in lilia* * *enim ingenioſus is locus, in Perſide erat, in quo arx à Tithono exſtructa. Ab illo, inquam, qui,*

** Ita & hodie incultam ac barbaram ſuam Philoſophiam committũt Americani* CARAIBIBVS, *id eſt, Braſilienſi linguâ, ſacerdotibus. Caſuet. lib. 2. Hiſt. noui orbis cap. 6.*

Et Pelaſgi priſco æuo CADOLIS ſeu ſacerdotibus, ſuis, Dionyſ. Halicarnaſp. lib. 2. Antiq. Romanar.

Lib. de eius vitâ.

** alluſio ad Suſarum nomen quod lilium Perſicè denotat*

quod corpus è lecto corriperet, & in Sapientiæ medullas ingenij aciem ilicò intenderet, cùm nocturnos ignes Aurora fugasset, eius maritus dictus est. vnde Ouid.

3. Fastor. Cùm croceis rorare genus Tithonia coniux
Ceperit.

Erat hic Laomedõtis filius, Priami frater. Vxorem duxerat ex Oriente oriundã, quam historici, & poëtæ, posteriores, in antiquitatæ cecutientes ideo Auroræ dixere. Ex hac Memnonem, & Emathionem procreauit, canente Hesiodo.

In Theogõ. At Aurora parit Tithono Memnona fortem
Æthiopum regem, regem simul Emathionem,

Pausan. in Phocens. *Quorum Memnon, è Susis cum exercitu suppetias Priamo patruo suo contra Græcos tulit: ense æreo instructus, ac hastâ cuius cuspis, infimáque pars ænea. Vndè illa apud Virgil.* Ae. 1. *noctem trahebat*

Multa super Priamo rogitans super Hectore multa;
Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis.

Tacitus. Suidas. *Erat Magiæ peritissimus, quâ adiutus, statuam è nigro lapide sibi simillimam extruxit; quæ effingebat summum conamen vt ex humo se eleuaret orientem versus; cúmque Auroræ exorientis radios facie excepisset, in hilaritatem ac risum se soluebat, oracula pronuntians. Vbi autem Sol in Oceanum ruinam minaretur, in tristitiam ac velut lachrymas vt pueri decedente matre, se proiiciebat. Ad huius similitudinem Ægyptiorum sollertissimi sacerdotes in Heliopoli simile simulachrum extruxerunt,*

CIPPVM *vocantes. Quod ibi à se conspe-* Zezes Chil 6.
ctum **Strabo scribit, aui dente vitiatum: quod* Hist 64.
tamen illustratum (Solis radiis maximâ mul *Lib. 17.
titudine præsente, vocem inarticulatam, ob vitium organorum, edebat Porrò hi Magi diuinas humanásque omnes excolebant discipli-nas, cæli, naturæque scrutantes variantes vices. Reges principésque. famæ inserebant; eorum res gestas, variósque casus litterarum perennitati committentes. Vndè diuina pagina de Assuero inquit. Nocte illâ fugiēte somno regis; edi-
xit afferri librũ commentariorũ, Chronica, Hester
quæ fuerunt lecta coram eo. Quumque in- 6.1 & 2.
ueniretur scriptum indicasse Mordecaium. de Bigthama, & Thetescho duobus aulicis regis ex custodibus liminis; quod quæsiuissent mittere manum in regem Assuerum. &c. *Hi liberi in robustissimus Persicæ dictionis arcibus custodiebantur; vt in Susi, & Achmethâ. De illâ, testis Metasthanes. de hac, sacra scriptura Hezræ cap. 6.*

1. Tunc Darius rex constituit legem: quum perquisiuissent in charto phylacio, vbi tabulæ repositæ fuerant de Babylonia;

2. Et inuentum esset Achmethæ, in regiâ quæ *est* in prouinciâ Mediæ volumen quoddam; in quo sic scriptum erat, Memoriale.

3. Anno primo Cyri regis, Cyrus rex constituit legem; domus Dei Ierusch elemi intus ædificator, vt sit locus vbi sacrificen

tur sacrificia, & fundamenta eius attollantor: altitudine suâ cubitorum sexaginta, amplitudine cubitorum sexaginta.

4. Ordinibus lapidum maximorum ternis & ordine lignorum nouorum: & impensæ è domo regiâ traduntor.

5. Insuper etiam instrumenta domus Dei, aurea & argentea; quæ Nebucatnetzar deprompserat è templo quod erat Ieruschelemi, & deduxerat in Babyloniam restituũto, vt perueniat vnumquodq. in templum, quod erat Ieruschelemi, in locum suum; & collocetur in domo Dei. *Quin & amore discendi stimulati, externa scripta in suam linguam transfudere. Testatúrque Ælianus lib. 12. Var. Hist. cap. 48. Persarum reges consueuisse Homeri poëmata patriâ linguâ cantare, vt & Indos: vnde canit Hadrianus Iunius:*

Ergóne gens vsquam est sub iniquo sidere mersa
Mæonidæ cui non lecta camœna siet?
Ille lares linquens patrios, per Bactra per Indos
Dum penetrat, didicit barbara verba loqui.

Adhibebantur hi Magi vnà cum aliis pædagogis Persarum regis filio. nam anno ætatis decimo quarto primogenito regis filio, ad quem secundum imperium Persarum respiciebat, quatuor ex totâ Persiâ selecti viri iungebantur, nimirùm Sapiẽtissimus, iustissimus, temperantissimus, atq; fortissimus. quorum primus Magiam eum edocebat, legibúsque ac institutis

ſtitutis cunctis regis imbuebat: alter, perpetim veritatem relligioſiſſimè vt coleret adhortabatur: tertius ne vlla ratione cupiditatibus herbam porrigeret, verùm victricia libertatis ſigna perpetuò vt ſequeretur, ſéque regem animi corporiſque illecebrarum præſtare vt niteretur, admonebat: quartus impauidum, intrepidumq; leonis animum ei inſpirabat, ne vnquam ab imperij cælo in ſeruitutis cænum delaberetur. Horum dogmata Hyſtaſpes, prudentiſſimus Darij pater, innumeris additamentis auxit. Is enim cùm ſuperioris Indiæ ſecreta fidentiùs penetraret, ad nemoroſam quandam peruenit ſolitudinem, cuius tranquillis ſilentiis præcelſa Brachmannorum ingenia potiebantur: à quibus ſiderum, cælique diſcordem motuum concordiam, puróſque ſacrorum ritus, edoctus, in Perſiam reuenit; Magiæ in additamentum, complementúmque, eos adiiciens Amian Marcel. lib 23.

Hæc egregia, puráque ſcientia, in Perſiâ incolumis perennauit, ad infauſtum luctuoſúmque vſq; exortum Zoroaſtris: qui id nomen ob ægregiam Aſtronomiæ peritiam adeptus, quâ apud homines animare, ac velut vitam aſtris dare credebatur. Dinon. lib.5. Hiſtor. Tantum hic ingenij ſplendore enituit, vt cunctorum Perſiæ Mediæque Magorum famam, lucidiſſimo acuminis lumine offuſcaret: indéque nomen Perſomedis, quaſi vtriúſque gentis coryphæi, aſſequeretur. Quando autem hic Zoroaſter, ſiue Zarades (duplex enim ei appellatio tribuitur) primùm Agath. lib. 2.

floruerit & leges condiderit, liquidò non constat. Persæ verò posterioris æui, sub Hystaspe, simpliciter tamen, citraque vllam adiectionem vixisse aiunt. Adeò vt valdè ambigatur, neque certò scieri possit, an Darij[a] pater, an *alius quispiā hic Hystaspes fuerit. Quocumque verò tandem tempore floruerit, auctor eis & dux * Magicæ religionis exstitit, pristinoque sacrorum ritu immutato, confusaneas quasdam, & variis opiniones induxit.

a qui vixit anno Mundi 3430.
** alium censeo quia Hystaspes Darij pater puram excoluit, quā decolorari Zoroastris spurco dogmatum atramento, nunquam permisissent*
** nimirum deprauata.*
b Plin. lib. 30. cap. 1.

b *Cum enim sinceræ Magices cognitione excelleret, id est naturalium rerum cognitionem, diuinos cultus, morborúmque medelam teneret, et Mathematicas artes iunxit, summóque studio excoluit, tertiámque his Magiam impuram, à se excogitatam copulauit. Antiquam quidem illam Philosophiam dogmatibus suis iunxit, vt specie salutari irreperet, velut altior sanctiórque quædam Phylosophia: Mathesin vt omnes illice futuri cognitione alliceret: his velut fulcrum dogmatum suorum adiunxit Magiam impurā, primâ fronte blandientem, ac myeticis circuitibus relligionem spirantem; vt ita dogmati suo blandissimis desideratissimisque promissis, vim robúrque relligionis adderet. Per verborum etenim sententiarúmque ambages, tenerrimæ ætatis pueros, qui vel adamantina pectora mollire possint, ceremoniis quibusdam immolari iubebat, eósque decoqui, donec in succum caro contabescecet.*

Huius impura Magia dogmata Plin. lib. 30. luculenter explicat.

De cuius

De cuius solidiori materiâ unguentum fieret, quo homines peruncti nouas formas induere, aëreásque vias carpere possent. De reliquo autem liquore potionem confici, cuius haustus, ritibus aliquot solenibus adhibitis, conscios homines totius sacræ artis redderet. Quin etiam proh scelus! homines iugulari ex eorúmq. spirantibus extis futura præcognoscere docebat. Astronomiam incredibili diligentiâ excolebat, verùm non purè & sincerè. sed fœdè dæmonum consortio inquinatam, quorũ ministerio ignem in speciem miraculi de cælo deducebat, tamquam summi Dei particulam quandam eum populo ostendens. Vndè creberrimè consueuerat exoptare, vt combustio à cælesti igne aliquando sibi contingere posset. Subdolè, vt scilicet diuinum se hominibus persuaderet, si fortè fortuna dum ope diaboli ignem de cælo deducere niteretur in speciem miraculi, in igneum ab eo miraculum verteretur ipse. Suidas.

Oh hos deprauatos Magiæ vsus, cõtaminatámq. tam impiis superstitionibus cognitionem, omnibus subsequutus sæculis calumniã incurrit, dúmq. currēt sæcula variatis vicibus incurret, & execranda diabolica superstitio censebitur. vndè Apuleius inquit. Sin verò more vulgari eum isti propriè Magũ existimant, qui communione loquendi cum diis immortalibus, ad omnia quæ velut incredibilia quadam vi incantationum polleat. *Huic discipuli apud Persas successere Hostanes,* Apolog. 1. Xanth. lyd

Astra-

Astrappsychus, Gobrius, Pazata: apud Medos Plin. lib. 30. cap. 1. *Apuscorus, & Zaratus: apud Babylonios Marmaridius: apud Arabes Hippocus: apud Assyrios Zarmocenidas. Fuit Magorum potentia & auctoritas aliquo quidem loco semper apud Persas, sed sub Artaxare summum cæpit incrementum. Hic etenim humili licet prosapia æditus, ingentem tamen gloriæ focum in præcordiis nutriebat, imperiúmque spirabat. Hinc clandestinâ coniuratione collectâ manu perditissimorum hominum, Artabanum, Parthorum vltimum regem ex stirpe Arsacæ aggreditur & obtruncat; cidaríque capiti suo impositâ, Parthicâque potentiâ subuersâ, Persis denuo pristinum imperium restituit. Hic autem Magiæ cognitione rigatus cùm esset, Magis summam potentiam tribuit; & tantam quidem, vt præsides, iudicésque ab ipso omnium causarum constituerentur: omniáque belli togæque negotia eorum auspiciis geri imperaret. Quam potentiam à regiâ indulgentiâ sibi tributam, pedetentim per varios circuitus, multiplicésque rerum ambages, ac casus, eò vsque euexere,* Plin. lib. 30. cap. 1. vt in oriente regũ regibus tandem imperarent. *Hanc magiam primus Osthanes, Xerxis in Græciæ bellis comes, Thraciæ intulit, tantúmque eius desiderium Græcis iniecit, vt rabie, non auiditate modo, eius tacti viderentur. Hinc eam vt addiscerent, non peregrinationes, sed verius exilia suscepere Græcorum Sapientiæ illustrissima lumina, Pythagoras,*

Empe-

Empedocles, Democritus, qui & scriptis editis Græciæ eam prostituit primus, unde sensim in Italiam repens, Cyclopum, Lestrigonum, & Sirenum homines deuorantium, non fabularum, sed abominandorum, ac crudelissimorum homicidiorum initia manarunt. Inde in Galliam sub titulo sacrorum Matris Deorum proseminata est, Druidibúsque ibi eius cura mandata. Inde gradum tollens, Britanniam intrauit, quæ adeo attonitè eius mysteria celebrauit, ut fons scaturigóque eius prima videri potuerit. Hinc refluens Romam inundauit, è quâ eiecta est anno Mund. 3869. vrb. DCLVII. *Cn. Cornelio Lentulo. P. Licinio Crasso Coss. facto Senatusconsulto, ne homo immolaretur. Cúmque in eam denuò se insinuasset, à Tiberio, Claudióque, eiecta est. Donec tandem ab Heliogabalo, Iulianóque apostata præmiis allecta ac scelestissimè exculta est.* Plin. lib. 30. cap. 1.

Ortum ac propagationem Philosophiæ iam explicauimus, variásque eius in variis gentibus vicissitudines aperuimus; vtq; in Asiâ varios casus exhauserit, indéque tandem in Græciam sedes transtulerit, eâ quâ fieri potuit breuitate ac luciditate diximus. Nec sanè mirum, totiens in Asiâ mutatam ac fœdatam Philosophiæ faciem fuisse: perpetim enim ferè bellorum ventis turbata, ac variis fortunæ ludibriis exagitata est. Primi enim Assyrij vniuersam Asiam occupauere, India excepta, quæ vltra Gangem est. Ninus quóque ibi imperium Agath. lib. 2.

posuit

posuit, & post eum Semiramis, ac deinceps omnes horum posteri ad Belum Dercetadæ filium. Cùm enim in hoc Belo Semiramicæ stirpis successio desineret, Belitaras quidam nomine, insitor, & hortorum qui in regia erant curator ac magister, imperium sibi mirâ ratione vindicauit, suóque generi inseuit, quemadmodum Bion & Alexander Polyhistor memoriæ prodiderunt. donec Sardanapalo regnante, vt illi scribunt, quùm iam emarcuisset imperium, Arbaces Medus, & Belesis Babylonius, illud Assyriis eripuerunt, interfecto ipsorum rege, & ad Medos Babyloniósq. transtulerunt, sex & trecentis iam supra mille, & paulò amplius annis elapsis, ex quo primùm Ninus ibi summam rerũ obtinuerat. Ita enim Ctesiæ Cnidio tempora describenti, Diodorus etiã Siculus assentitur. Medi itaq. & Babylonij imperium adepti, omnia suis legibus gubernarunt; perpetimq; bello de summo imperio concertarunt, donec trecentesimo anno à Cyro debellati, ad Persas id traduceretur. Qui cùm annis octo & viginti, supra ducentos imperassent, etiã imperio excidêre, ab externo & rege alienigena subiugati. Alexander enim Philippi filius, interfecto Dario rege, Arsami filio, totâq; Perside subactâ, ad Macedonicam gubernationem imperium transtulit. Adeo hic rerum gestarum magnitudine fulgebat, belloque erat insuperabilis, vt etiam posteaquam eum è viuis excedere contigit, successores ipsius, Macedones

cedones cùm essent, alienam exterámque regionem quàm diutissimè in potestate retinuerint, & ad summam potentiam euaserint. ipsorúmque imperium diuturnum, nec caducum fuisset, Alexandri gloriæ robore suffulti cùm essent, nisi inter se dissidentes, frequentibúsque præliis tum aduersus se mutuò, tum aduersus Romanos habitis, ardore maiora acquirendi, lacertos imperij sui eneruassent, effecissentque vt non amplius finitimis insuparabiles viderentur: quum alioquin imperassent non minore temporis spatio quàm Medi, septem videlicet annis minus; nã & hac in re Polyhistori credendum.

Cùm itaque tanto temporis spatio imperij habenas moderati fuissent, à Parthis gente seruili, ac sub imperio alieno viuente, omnísque celebritatis exorte, imperio fuerunt spoliati: qui deinceps eo vniuerso, Ægypto exceptâ, sunt potiti; Arsace quidem primo defectionis auctore, adeò vt Arsacidæ qui ei successerũt reges dicti fuerint. E quibus Mithridates non multò post ad summam gloriam Parthorum nomen euexit. Donec elapsis ab Arsacæ imperio annis LXX. *supra ducentos, Artabano interempto Parthicâque potentiâ subuersâ, Artaxares Persa id Persis restitueret. Qui cùm annis amplius quadringentis illud obtinuissent, ab Homaro Arabum principe circa an. Christ. 630. eo exuti fuere: qui Asiæ, Africæ, Europæque florentissimis partibus debellatis, nouas barbariæ stillantes leges tulere, relligiones*

confude-

confudere: linguam Persicam, Græcam, Latinámque extirpauere. Scytharum etiam incursionibus prisco æuo frequenter Asia turbata est. Cùm enim iis bellum inferre Sesostres vellet, priùs legatos ablegauit, qui eos iuberent suo imperio parere: quibus Scythæ respondere:
Iustin. lib. 2. Miramur tam opulēti populi ducem stolidè aduersus inopes bellum occupasse, quod magis illi fuerit domi timendum, quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint: *quamobrem Scythas aduentum eius non expectaturos, sed è vestigio ei obuiaturos. Et statim dicta re probauere. Quorum præcipitem aduentum cùm Sesostres percepisset, in fugam vertitur, ac relicto exercitu cū omni bellico apparatu, in*
Idem Ibid. *regnum trepidus refugit. Insequentes* Scythas ab Ægypto paludes prohibuere. *Regredientes igitur, Asiam perdomuere, vectigalémque fecere, eíque longo tempore imperauere. támque infractum huius gentis robur fuit, vt priscis temporibus nunquam alieni imperij iugum senserint. Eos étenim debellare cùm vellet Persarum potentissimus Rex, turpi eum à Scythiā submouere fugâ: idémque Cyrum Persarum regem, Alexandríq; Magni ducem Zopyrum, tentantem, cum omni exercitu trucidarunt.*
Idē lib. 41. *Romanorum audiuere, non sensere arma. Et quòd mirùm, lucēte Assyriaco, Medico, ac Persico imperio, Bactriani imperij sidus mille vrbibus illustre fundauere. Cúmque intestinis*
dissidiis

dissidiis exagitarentur, quidam patriam relinquentes spontanei PARTHI (id est exules Scythico sermone) *facti fuere, solitudinésque occupauere Hyrcaniæ finitimas, montibus acclines ac arduas, & collibus planas. Vnde dissociabili contrarietate, altera Parthiæ pars æstu torrebatur, altera adurebatur frigore. Et cùm fœminarum viri, qui iuxta amnē Thermodonta consederant, à Scythis pulsi quod domi desedissent cùm Asiam reliqui domarent, à finitimis, quos spoliare consueuerant, prælio deleti essent, ipsæ cernentes viris se viduatas, reliquos qui prælio non interfuerant iugulauere, vt æquā omnium fortuna esset: reginasque sibi Lampedonem, ac Marpesiam elegerunt, animúmque viris nubendi deposuere. Attamen ne genus, regnumque suum sensim consumeretur,* tempore veris è finibus suis egredientes, cum conterminis coïbant: vndè omnes vno eodémque tempore fœtum proferebant, masculísque interfectis enutriebant fœmellas; *quas non lanificia, sed armorum vsum edocebant, dexteram mammillam candenti ferro adustam tollentes, vt omne robur in brachium abiret.*

Idē Ibid.

Bardesanes Chaldæus in Dialogo de Fato.

In variâ hac rerum vicissitudine Philosophiæ lumen sæpe offuscatum, sæpè tenebris barbariei exstinctum ferè fuit. Haud tamen vnquam tantis Cimmeriis tenebris inuolutum, quin æthereo ardore explendescens, scintillas radiósque crebrò diffunderet; qui per densas bar-

bariei nebulas & caligines splendescentes, aliquid etiam ex iis quin traherent contagij. fieri nullâ ratione poterat. Ita iniquum humano generi sidus Hecate exorta est. Hæc è Nymphâ & Perseo progaata ven tionum summo studio detenta fuit, letiferásque radices prima inuenit, ac summam venenorum conficiendorum peritiam adsequuta fuit, quorum periculum in hospitibus faciens, omni deinceps eas eximebat vitæ periculis. Aconiti vim obseruauit prima, verbenásque in veneficarum herbarum syllabum reposuit Tandem ob execranda ac dira facinora (non enim tantùm hospitibus, verùm & patri exitialis fuit) in Colchidem ablegata, Aætæ patruo nupsit, ex quo Circen, ac Medeam suscepit. Quarum illa cum adoleuisset matrem ipsam multis partibus veneficiis superauit, quippe cùm matris inuentis imbuta, pluribus experimentis ipsa ea auxisset. Ætate iam maturam Dionysidorus Sarmatarum regi nupsisse scribit; quem paulo post vbi veneno sustulisset, sola regno potita immanissima crudelitate subditos transtans, cùm exili mulierum manu solio solóque Sarmato eiecta fuit; Italiámque versus cursum arripiens, in pro- Pausan. in prioribus Eliac. *montorio, ab ipsâ posteriori æuo Circæum dicto, consedit. Habuit hæc puellas quatuor, quarum ministerio in legendis herbis ac veneficiis conficiendis vtebatur, quas Ouid Nereides ac Nymphas appellat,*

Metamorph. 14. Nereides Nymphæque simul, quæ vellera motis

Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt:
Gramina disponunt, sparsosq́. sine ordine flores
Secernunt calathis, variisq́ue coloribus herbas.
Ipsa quod hæ faciunt opus exigit; ipsa quis vsus
Quoque sit in folio, quæ sit concordia mistis
Nouit, & aduertens pensas examinat herbas.

Vtebatur in veneficiis motacillæ auiculæ carne, imprimis autem in philtris. Homines in varia brutorum genera veneficiis transformabat, Virgil. canente: Ae. 7.

Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantum, ac sera sub nocte rudentum,
Setigerique sues, atque in præsepibus vrsi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum,
Quos hominum ex facie dea sæua potentibus herbis
Induerat Circæ in vultus ac terga ferarum.

Quale autem id esset quo homines transformaret Ouid. aperit. Metamorph. 14.

Nec mora misceri tosti iubet horrea grani,
Melláque, vimq́. meri, cum lacte coagula passo,
Quique sub hac lateant furtim dulcedine succos
Adiicit.

Hæc vbi deglutiissent ad numerum magici carminis percussos veneficiâ virgâ in belluas vertebat, vndè ille,

Carminibus Circæ socios mutauit Vlissis.

Altera autem filia Hecaces Medea, inferior veneficiis sorore haud fuit, vt indicat Apollonius de ipsa canens. Huius Magiam ad viuum delineat Ouid. lib. 7. Metamorph. & Seneca in Medea.

Fertur in Aetæ penetralibus esse puella:
Hanc Hecate docuit super omnes pharmaca, quotquot
Vel pontus, vel terra tulit, mollescere flammas,
Indomitosq́. ignes docuit: fluuiosq́ue rapaces

Firmauit, quamuis properanti flumine currant:
Sideráque, & Lunæ cursúsque viásque ligauit.
Hæc è Colchide cum Iasone fugiens, in Lem-
num vbi applicuisset, indigenarum mulierum
zelotypia tacta, pharmacum magicum quod-
dam ei iniecit, quod quotiens annuus orbis
mensibus exactis compleretur, teterrimum fœ-
minis odorem imprimebat, adeò vt viris pror-
sus inuisæ essent. Præcipua autem huiusmodi
tam puræ quàm inquinatæ Sapientiæ affectarum
nc scientia, in herbarum cognitionem repo-
sita erat. Hinc & Oenone nobilissima Asiatica
Heroina apud Ouid. ab Apolline sibi concessam
peritiam herbarum gloriatur;

Myrtilus Rer. Lesbicarum lib. I.

In Oenones ad Paridem epistola.

Me fide conspicuus Troiæ munitor amauit:
Ille meæ spolium virginitatis habet.
Id quoque luctando; rupi tamen ante capillos,
Oraque sunt digitis aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas, aurumq. poposci:
Turpiter ingenium munera corpus emunt.
Ipse ratus dignam medicas mihi tradidit artes,
Admisitque meas ad sua dona manus. (di
Quæcumq. herba potens ad opé, radix ve meden-
Vtilis in toto nascitur orbe mea est.
Erat autem summo in honore in Asiæ partibus
barbariæ obsitis Philosophia, adeò vt Arietem,
Phryxi Athamantis Thebarum regis filij pæda-
gogum, Sapientiæ cultu adeò conspicuum vt
Auratus ob doctrinæ præstantiam vulgò dice-
retur, tanto desiderio Colchi captum asserua-
rint, vt omnes occumbuere quàm tanto viro
carere maluissent. Qui tamen ab Iasone, re-
liquisque Argonautis, tandem indè liberatus
fuit.

Dionys. [illegible]

fuit. Vnde nauigationis Argonautarum ad aurei velleris consequutionem fabula manauit.

Quin & Græcia horrida adhuc & inculta, ac frigore barbariei obsita, interdum scintillas Sapientiæ ostendit. Ita Orionem Bœotiorum principem Astrologiæ peritissimum: Bacchum Thebanum magum egregium, qui primus externorum ducum in Indiam penetrauit Chironem almum priscorum heroum lumen, produxit. Bacchus enim aduersus Indos expeditionem suscipiens, comitatus Sileno præceptore Diodor. Sicul. lib 5 Rer. antiq. cap 1. *suo, qui ipsi ad mores bellicásque res plurimùm profuit, apertis ac manifestis armis exercitum non armauit, verũ vestimentis exilibus, ac pel-* Polyæn. lib. 1. *libus ceruinis: hastásque hedera inuoluit, summam cuspidem pampinis occultans, cymbalisq; & tympanis, tubarum loco vtens. Ac vinum maxima copiâ aduehebat, aut id si deficeret, ex hordeo potum conficiebat; Zythum vocans, quo inebriatos hostes subiugabat. Dæmones etiam sub humanâ specie secum duxit, Satyros & Cobalos dictos, qui de rebus futuris ipsum certiorem redderent, hostiúmque consilia reuelarent: quales & hodiè Sarmatia frequentes habet, quos Drullos Sarmati, Coltkos Ruteni, Germani Cobaldos vocant, qui se occultant in ædium penetralibus, aut lignorum aceruis, coluntúrque à domesticis magnâ veneratione, quòd frumentum ex alienis horreis, in ipsorum deportent, equósque curent, ac morbos, aliáque incommoda prænuncient. Fœminas etiam*

ab hisce Cobalis in furorem versas comites habuit; quas hostes cernentes, velut earum sympathia tacti, cùm à Cobalis in furorem verterentur, exiliebant cantillantes ac miros effingentes gestus. Vndè Ouid. canit.

Lib. 4. Metamorph.

Liber adest, festisque fremunt vlulatibus agri:
Turba ruit: mistæque viris, matresque nurusq́.
Vulgusque, proceresq́. ignota ad sacra feruntur.
Quis furor anguigenæ proles mauortia vestras
Attollit mentes? Penthæus ait, æráne tantum
Æra repulsa valent? & adunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes? vt quos non bellicus ensis,
Non tuba terruerit, non strictis agmina telis;
Fœmineæ voces, & mota insania vino,
Obscœnique greges, & inania tympana vincant.

Diodor. Sicul. lib. 5. Rer. antiq. cap. 3.

Xerius Nauigat. in Brasil. cap. 16.

Quamobrem cùm post triennium ab Indicâ expeditione in Græciam reuenisset, à Thracibus Trieterita festa instituta fuere, in ipsius memoriam, in quibus simili modo insanientes fœminæ discurrebant. Quibus geminus prorsus ritus hodiè in Brasiliâ viget. Caraibes enim Tououpinâboulsiorum Pseudophrophetæ tertio quoque anno populum conuocant, & in tres cœtus, virorum, mulierum, ac puerorum diuisum, in diuersa tuguria secedere iubent. Ipsi cum viris vnum tugurium occupant: qui repentè altissimâ voce hortantium illam interiectionem he, he, he, he, & c. *subinde repetunt, quòd exaudientes mulieres tremulâ voce summo conamine imitātur, horrendū vlulantes, ac magno impetu exilientes, mammas contundentes spumámq, ore emittentes, adeò vt nonnullæ dæmoniacæ violentiæ impares, (eá námque in*

furorem

furorem vertuntur) tamquam comitiali morbo correptæ, concidant.

Porrò Bacchi exercitus cùm insolito aëris æstu pestem contraxisset, eâque miserè depasceretur, castra è planicie in montis Tricoryphi iugum transtulit. Vndè posteà fabula manauit, Bacchum, matre Iouis flammis adustâ, ipsius fœmori insertum, ac bis ita genitum. Quo commento hanc historiam veteres illi fabularum concinnatores inuere voluêre. Iouem enim aërem appellabant, cuius meditullium Bacchus, cum exercitu in montis supercilio constitutus, occupans, recuperauit vitam desperatam ob terræ, communis omnium matris, à calidissimo aëre exitialem adustionem. Totâ autem Indiâ subiugatâ in extimis eius oris, non procul à Gange fluuio, duas columnas perennes suarum victoriarum testes exstruxit, testante Dionysio dum canit,

Hæc & Thebani Dionysi terra columnas
Monstrat ad Oceanû, atq. extremi littora Ponti,
Montibus Indorum quà vasto gurgite Ganges
In mare se voluit, Nysæum impellit & vndam. De situ orbis.

Triennali autem bello Indiâ subiugatâ ad Septentrionalium regionum debellationem victorem exercitum duxit. Vnde Ouid. in Trist. Lib. 5. eleg. 3.

——— ad vsque vinosam
Strymona venisti, marticolamque Geten,

& in Fast. Lib. 3.

Sithonos ac Scythicos longum est memorare triumphos.
Et domitas gentes thurifer inde tuas.

Hisce bellis exhaustis triumphans in Græciam reuenit, vectus, vt Diodorus Sicul. Lib. 5. Rer. antiqu. cap. 1. *vult elephanto Indico, vt autem Martial. & Virgil. curru à tigribus tracto. Martial.*

Lib. 8. epigram. 36. Nam cùm captiuos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Ae. 6. *Virgil.*

Nec qui pampineis victor iuga flexit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.

Túncque Ioui de tantis victoriis summas gratias agens, ei primus apud Græcos Aromata sacrificauit. Ouid.

Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt
3. Fastor. Liber, & in gelidis h[illegible]ba reperta focis.
Te memorant Gange, totoque Oriente subacto,
Primitias magno seposuisse Ioui.
Cinnama tu primus, captiuaque thura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta boue.

Omnia autem hæc eius gesta, imò totam historiam, Seneca in Oedipode Dithyrambico hoc carmine, omnis generis carminum conflage, expressit, quod vnicum nobis è cunctis aui dens inuiolatum reliquit.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Mollia Nisæis armari brachia thyrsis.
Lucidum cæli decus, huc ades votis,
Thebæ Bacchæ tuæ quæ tibi nobiles
Palmis supplicibus ferunt.
Huc aduerte fauens virgineum caput,
Vultu sidereo discute nubila,
Et tristes Erebi minas,
Auidumq. fatum, te decet vernis comam
Cingi floribus:
Te caput Tyriâ cohibere mitrâ,
Hederâue mollem

Bacciferâ religare frontem.
Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto reuocare nodo.
Qualis iratam metuens nouercam
Creueras falsos imitatus artus,
Crine flauenti simulata virgo,
Luteâ vestem retinente Zonâ.
Vndè tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste cùm longa regeres leones,
Omnis Eoæ plaga vasta terræ,
Qui bibit Gangem: niueúmque quisquis
Frangit Araxem.
Te senior turpi sequitur Silenus asello,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis,
Condita lasciui deducunt orgia mystæ.
Te Bassaridum comitata cohors,
Nunc Edoni pede pulsauit
Sola Pangæi, nunc Threïcio
Vertice Pindi; nunc Cadmæas
Inter mattes impia Mœnas
Comes Ogygio venit Iaccho,
Næbride sacrâ præcincta latus.
Tibi commotæ pectora matres
Fudere comam, thyrsúmque leuem
Vibrante manu. iam post laceros
Penthæos artus Thyades œstro
Membra remissæ, velut ignotum
Videre nefas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereïdúmque choris Cadmeïa cingitur Ino.
Ius habet in fluctus magni puer aduena ponti,
Cognatus Bacchi, numen non vile Palæmon.
Te Tyrrhena puer rapuit manus,
Et tumidum Neræus posuit mare,
Cærula cum pratis mutat freta.
Hinc verno platanus folio viret,

Et Phœbo laurus carum nemus:
Garrula per ramos auis obstrepit;
Viuaces hæderas ramus tenet;
Summa ligat vitis carchesia;
Idæus prorâ fremuit leo;
Tigris puppe sedet Gangetica;
Dum pirata freto pauidus natat;
Et noua demersos facies habet.
Brachia prima cadunt prædonibus,
Inlisúmque vtero pectus coit.
Paruula dependet lateri manus,
Et dorso fluctum curuo subit,
Lunata scindit cauda mare,
Et sequitur curuus fugiẽtia carbasa Delphin.
Diuite Pactolus vexit te Lydius vndâ,
Aureâ torrenti deducens flumina ripâ.
Laxauit victos arcus, Geticasque sagittas
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.
Sensere terræ Zedacum feroces:
Et quos vicinus Boreas ferit
Arua mutantes: quasque Mæotis
Adluit gentes frigida fluctu:
Quasque despectat vertice summo
Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.
Ille dispersos domuit Gelonos:
Arma detraxit trucibus puellis:
Ore deiecto petiere terram
Thermodontiacæ graues cateruæ,
Positis tandem leuibus sagittis,
Mites factæ. sacer & Citheron
Sanguine inundauit,
Ophioniâque cæde.
Prætides siluas petière & agros.
Præsidem Bacchum coluit nouerca.
Naxos Ægeo redimita ponto,
Tradit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito.

Pumice

Pumice ſicco
Fluxit Nyctilæus latex.
Garruli gramen ſecuere riui,
Combibit dulces humus alta ſuccos,
Niueiq́ue lactis candidos fontes.
Et miſta odoro Lesbia cum thymo,
Ducitur magno noua nupta cælo:
Solemne Phœbus carmen
Edit, infuſis humero capillis:
Concutit tædas geminus Cupido:
Telum depoſuit Iuppiter igneum,
Condidit Baccho veniente fulmen.
Lucida dum current annoſi ſidera mundi,
Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaq́ue dimiſſos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus,
Altaq́ue cæruleum dum Nærea neſciet Arctos,
Caudida formoſi venerabimur ora Lyæi.

Porrò Chiron cùm adoleuiſſet, in ſiluas abiit, herbarum vires ac hominum curatione agentium medelam obſeruans, tantumque gloriæ in Medicina longo vſu adeptus eſt, vt ob leuitatem manuum in vulnerum tractatione, Chiron vulgò diceretur, ſummum námque periti chirurgi inditium manuum in tractandis vulneribus leuitas. Dictus eſt Saturni & Philyræ filius quod artis medendi ac Chirurgiæ princeps apud Græcos auctor fuerit, longi temporis experientia eam edoctus. Sabellius,

Repperit Hæmoniæ Chiron vetus incola terræ
Herbarum medicas vires & nomina primus.

Eſtq́; φίλη amica, πεῖρα verò experientia, vnde φίλυρα quaſi φιλειρα, quod experientia Chirurgiæ mater; ab empirica enim Theoria progenata

gnata est. Commentum per ora vulgi diffusum, ipsum ancipitis naturæ fuisse, humanæ ac equinæ; quod ars ab ipso inuenta non hominibus duntaxat, verùm & animalibus, conducat. Natum ab immortalibus parentibus finxere, quód è perenni experientiâ Chirurgiam concinnasset. Post longam autem temporum seriem cùm ad summam ætatem peruenisset, à Ioue impetrasse dixere, vt morti succumbere posset, quód Chirurgia, & omnes artes, cùm ad summum excreuere immutentur, (námque

Lucan lib. 1. In se magna ruunt. Lætis hunc numina rebus
Cressendi posuere modum)

immutatæ senescant, ac tandem intereant: in fibris enim, non in labris Veritatis id natum,
Varro lib. 4. de Ling. Latin. Vetustas non pauca deprauat, multa tollit.
Interit vulneratus telo Herculis Lerneo veneno infecto, intérque sidera relatus esse dictus est, quòd perennis ipsius fama ab omni senio ipsum vindicet, ac velut in cælum extra has rerum caducarum alternantes vices ponat. Eius exitium Ouid. perenni hac voce 5. Fastorum cecinit.

Nocte minus quartâ promet sua sidera Chiron
Semiuir, & flaui corpore mistus equi.
Pelion Hæmoniæ mons est obuersus in austros:
Summa virent pinu: cætera quercus habet.
Phillyrides tenuit: saxo stant antra vetusto:
Quæ iustum memorant incoluisse senem.
Ille manus olim missuras Hectora letho
Creditur in lyricis detinuisse modis.
Venerat Alcides exhausta parte laborum:
Iussáque restabant vltima pœnè viro.

Stare

Stare ſimul caſu Troiæ duo fata videres:
Hinc puer Æacides, hinc Ioue natus erat.
Excipit hoſpitio iuuenem Philyreius heros:
Et cauſam aduentus hic rogat: ille docet.
Reſpicit interea clauam, ſpoliumque leonis:
Virque ait his armis, armaque digna viro.
Nec ſe, quin horrens auderent tangere ſætis
Vellus, Achilleæ continuere manus.
Dumque ſenex tractat ſquallentia tela venenis,
Excidit, & læuo fixa ſagitta pede eſt.
Ingemuit Chiron traxitque e vulnere ferrum:
Et gemit Alcides, Hæmoniuſque puer.
Ipſe tamen lectas Pagaſæis collibus herbas
Temperat: & vanâ vulnera mulcet ope.
Virus edax ſuperabat opem: penituſque recepta
Oſſibus, & toto corpore peſtis erat.
Sanguine Centaurei Lerneæ ſanguis Echidnæ
Miſtus, ad auxilium tempora nulla dabat.
Stabat vt ante patrẽ lacrimis perfuſus Achilles,
Sic flendus Pelæus, ſi moreretur, erat.
Sæpè manus ægras manibus fingebat amicis:
Morum quos fecit, præmia doctor habet.
Oſcula ſæpè dedit: dixit quoque ſæpe iacenti;
Viue precor: nec me care relinque pater.
Nona dies adderat, cum tu iuſtiſſime Chiron
Bis ſeptem ſtellis corpora cinctus eras.

In huius ſcholâ præclariſſimi priſci æui heroes enutriti fuere, inter quos Iaſon & Achilles haud poſtremi. Cùm enim Pelias ab oraculo reſponſum accepiſſet, quòd manu cuiuſdam ab Æolo oriundi interficeretur, omnes Æolidas è medio tollere ſtatuit. Ex eorum autem numero cum eſſet Iaſon filius Æſonis, (qui Crethei, Æoli filij, gnatus erat) eum adhuc infantem interimere voluit. Quòd ipſius propinqui

pinqui animaduertentes, nocte obscurissima in arcâ conclusum, tanquam mortuum, extulere, ac in Chironis antrum deportauere, eique enutriendum ac instituendum dedere. Cúmq; ibi adoleuisset, maximóque in medicina progressus fecisset, Iason ob scientiæ excellentiam à Chirone nuncupatus fuit, cum antea Dolomedes diceretur. Achillem etiam à teneris unguiculis aprorum ac vrsorum medullis, visceribúsque leonum, enutriuit, & in omnia Philosophiæ penetralia deduxit. Hinc cùm herbariâ cognitione excelleret, ad Telephi vulneris curationem herbam, cuius vires antea ignorabantur, adhibuit, vulnúsque immedicabile omnium opinione persanauit; vnde Achilleæ nomen & hodierno die herba reseruat. Primus etiam sæuissimæ pestis Græcorum ante Troiam castra depopulantis causas peruidit, ex aëris constitutione, Solísque pallore insueto diuinam iram esse docens. Hinc Vulcanus à Thetide obsecratus, vt ei scutum armáque fabricaretur, clypeum ei fecit totius Mundi cælamine conspicuum. Quod apud Ouid. Vlisses, cum Aiace Telamonio de eius possessione post interitum Achillis contẽdens, præclarè his verbis describit.

Apollodor. lib. 3.

Eustat. ad Homer. Iliad. α

Lib. 13. Metamorph.

Scilicet idcircò pro nato cærula mater
Ambitiosa suo fuit, vt cælestia dona,
Artis opus tantæ, rudis, & sine pectore miles
Indueret? neque enim clypei cælamina norit,
Oceanum & terras, cumque alto sidera cælo,
Pleiadasq́, Hyadasq́ immunemq́; æquoris Arctõ,
Diuersasque nubes, nitidumque Orionis ensem.

Postulat

Postulat vt capiat quæ non intelligit arma.
Tot igitur, tantisque procellis Philosophia prisco æuo iactata, variisque bellorum ac barbariei turbinibus exagitata, immersabilis tamen exstitit. Verùm posterioribus sæculis decumanos fluctus è Scythiâ Arabiâque adnatantes, fatales ferè experta est. Nec mirùm, quid enim aliud quàm humani ingenij fœtus? Et nonne ipsi homines ab omni æuo corruere, & corruent in omne æuum? Ingenium namque hoc omnibus creatis, vt insitâ quadam vi ad mutationem ferantur & casum. Vt ferro consumens quædam rubigo per naturam agnata est: ligno, exedens caries, aut teredo; sic animalibus, opidis, regnis, interna & sua causa pereundi. Vbi tot veterum laudibus decantatæ veteres Ægypti Thebæ? Vbi centum opulentissimæ Cretæ vrbes? obrutæ, dirutæ, incensæ, miserè interiere. Erec, Accad, Calue, Schinharis nobilissimas vrbes vix fama retinet: potentissimas Assyriæ ciuitates, lucidissima mundi sidera prisco sæculo, Rahoboth, Calahh, Rezzen, vix fides. O mira, & nunquam comprehensa naturæ lex! longæuum aliquid producit; nihil æternum. Vt verissimè è naturæ medullis primus Xenophanes illud expresserit, omne quod fit corruptioni obnoxium esse. *Quo veriloquio claudo & consigno hasce instituti mei primitias: nam*

Genes. 10. 10.

Genes. 10. 11. & 12.

Diogen. Laërt. lib. 9.

Pars superat cœpti, pars est exhausta laboris:
Nauigat hinc alia iam mihi linter aqua.

Ouid. Fast. 1.
Idem Fast. 2.

MARCI ANTONI

Sabellici, de rerum & artium inuentoribus poëma: ad M. D. Hieronymum Bassum, Foro-Iuliensis prouinciæ quæstorem.

INTER grata soles studij commercia nostri
Priscorum laudare frequens monumenta virorum,
Auctores ipsos, rerum miratus & vsus,
Et quas quisque olim meditando prodidit artes.
Hæc eadem quia sæpe iubes, studioque requiris,
Ordiar hîc Venetæ decus & noua fama iuuentæ
Ludere pauca (breui quis enim queat omnia versu)
Basse tibi: at quamuis maiora negotia temnas;
Huc animum conuerte precor, dispendia fient
Nulla reor, tenuem non auersatus honorem,
Huc ades, & mecũ hunc lector sortire laborem.
Sed iam tempus adest trepidæ dare vela carinæ,
Imus, & immẽsum iuuat hoc tẽtare profundũ.
Emptio prima datur, datur anctio prima Lyæo:
Ille, triumphales etiam deducere pompas
Instituit, diadema dedit gestare tyrannis.
At quamuis victum nondum Dodona negaret,
Ipsa dedit frumenta Ceres, & frangere saxo,
Pinsendiq. rudem prima est commẽta laborem.
Hæc eadem leges præfixit gentibus: atqui
Te rhadamãthe velint auctorẽ muneris adsunt.
Phœnices primi (famæ si credimus) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Ipsa suum contra decus hoc Mempihitica tellus
Sublatamque acri repetit certamine palmam.
Cadmus Agenorides patrio propulsus ab orbe,
Intulit

Intulit Hæmoniis cælestia munera terris:
Octonas totidemque dedit vix ille figuras:
Inde alias Graiî sensim inuenere recentes:
Hinc porrò Ausoniis decus hoc tribuisse colonis
Se veteres iactant mutata sede Pelasgi.
Palladis (fama est) primùm sibi finxit Athenis
Eurialus cum fratre domum: namq. orbe recenti
Speluncas coluistis aui, vilesque latebras:
Tunc primùm fragili consurgere limina testa
Obstupuit mortale genus proh, tristis abusus,
Quàm paruo contenta fuit natura. Sed eccè
Quamuis Spartano consurgant atria saxo,
Sublimesque ornet postes Titana Carystos,
Illita Calleco radient ni cuncta metallo,
Credimus esse nihil: spernitq. hæc luxus & odit.
Aëriamq. bifrons Cecrops hic condidit arcem:
Te Phoroneæ canunt alij, testantibus Argis.
Primùm Agriopidæ, Paphiis est visa colonis,
Tegula ficta manu: sic prodidit alta vetustas.
Malleus, atque recens incus, & forcipis vsus,
Huic vectis debere etiam sua tela fatetur.
At puteos Phariis Danaus deuectus ab oris
Argiua defodit humo: conscindere saxa
Rupibus, & certam prosciscis addere formam
Ogygias Cadmus docuit sua mœnia Thebas;
Archiphrasus quamuis Tyrius sibi dedita dona
Esse velit. Turresque Thrason & mœnia circum
Oppida constituit: contra sua premia dicunt
Phœnices soliti ingenio sibi poscere palmam.
Argento tenues telas subtexere & auro
Niliacæ docuere manus: sed vellera primo
Perdita mollicies infecit Lydia fuco.
Lanificos fusos Closter dedit vnus Arachnes,
Dignus matre satus; linumque & retia mater
Prodidit: at Nicias statuit fullonibus artem,
Megara quem genuit fatalis regia Nysi.
Boëtio Sutrina datur: Medicina Canopo.
Ast Arabus, quem Phœbe tibi Babylona creasse

Fama refert, medicæ fertur dator artis & auctor,
Repperit Hemoniæ Chiron vetus incola terræ,
Herbarum medicas vires & nomina primus.
Temperat ipse Scythes; subitis fornacibus æra
Lydius humanos olim conflauit in vsus.
Cu fere Phryx docuit; Delas exhausta metalla;
Inque nouos vsus telluris vertere venam. (tem
Hanc chalybes quidam, quidam Cyclopas in ar-
Mortales traxisse ferunt. tu Dactyle ferrum
Primus in Idæis monstrasti gentibus antris.
Cephicus argenti venas: aut Atticus imis
Fodit Erichthonius, terris tu Cadme, sed aurum
Insinuas, colles Pangæaque saxa recludens.
At vetus Oceano genitum fert fabula Solem:
Muneris auctorem quidam fecere Thoantem:
Midacritoque dedit Cassiteris insula plumbum;
Cyclopes media positis incudibus Ætna,
Humanum docuere genus sibi cudere ferrum;
Cecropius figulis sanxit præcepta Chorabus.
Ascia Dedaliæ, glutemque, & serra Mineruæ,
Et perpendiculum, & obliqui prima terebri
Commoda debentur: conuexi fornicis vsus,
Clauis, & arguti torui, tenuisque libellæ,
Commentum Samij, si credimus, est Theodori.
Sunt Palamedis opus mẽsuræ, & põdera: Phidos
Creditur Argiuus gemini vetus auctor honoris.
At tua magnæ Cilix soboles noua semina flammæ
Excussit pyrodes saxis; excussit & ignem
Prima Promætheæ ferulis ars inclyta dextræ.
Bisq. duas statuere rotas sub curribus ipsi (cem
Gens operosa Phryges. Calidi proponere mer-
Et vectare procul monstrant mercalia Pœni.
Cæpta Eumolpe coli est primũ tibi vitis, & arbor
Cecropio generare solo, domuitque Scytheni
Ipsa merum soboles admotis Staphilus vndis:
Fertur Aristæus vicino natus Hymetto,
Orchades, & radios, rudibus pressisse trapetis:

Idem

Idem mella fauis primus discussit: aratro
Ante alios biges docuit submittere tauros.
Triptolemum pars magna canit: pars maxima
Brigem
Muneris auctorem tanti: Phariogque Canopo.
Ciuilis res prima fuit, sed subdita regi.
At populare decus ciuilia iura, sacrumque
Attica gens olim fertur commenta senatum:
Thesea mortales primùm videre tyrannum:
Post quem fama refert Phalarim trepidasse Sicanos.
Proh scelus indignum, victor Spartanus adegit,
Humanum seruire genus: docuistis Athenæ
Vos vestrum damnare caput. Noua prælia sæui
In Pharias gentes gessere phalangibus Aphri.
Acritus & Prætus dum tristia bella cierent,
In se forte rudes clypeos statuere: sed adsunt
Dent Athamãte sato qui inuenti præmia calco.
Loricam Mydiæ inuentum putat alta vetustas,
Qué Messana tulit: gladiũ Spartanus & hastam
Commentus, galeaq. ferox processit in hostem.
Ast ocreas primi gessere in prælia Cares
Ipse Scythes curuos arcus, teretesque sagittas
Altitonãte satus: decus hoc tibi maxime Perses.
Perseos insignis proles nunc vendicat error.
Velitis ignotam Tyrrhenus protulit hastam,
Pilaque non priscis ingrata Quiritibus arma.
Vulnificam visa est primùm succincta securim
Penthesilea furens: Pisæus venabula, & ipsum
Scorpion: Idæis debet catapulta colonis:
Martius amentum, iaculumq. Ætolus in hostem
Confixit; balista Syrum Phœnica recensque
Fama canit: sed tu meditatus prælia Piseu
Das Tyrrhene tubã: testudo Anthemona laudat
Arctius hostiles illabens machina muros.
Sigæi fabricator equi generosus Epeus
Creditur: en aries mutato nomiue nunc est.
Inscius ante fuit; sonipes sessoris adactus

Bellerophonta tulit: frenumque induxit, & ipsa
Strata Pelethronius domitor, Martemque ciere
Thessalus: vsus equo est primus, quem pura vetustas
Semiferum spectasse virum sibi visa vocauit
Centauron: bigásque Phryges iunxere feraces.
Sanxit Erichthonius volucres agitare quadrigas.
At belli signum, vigiles, & tessera, magni
Sunt Palamedis opus; statuitque hæc Pergama circum
Dux ille, Iliacis instat dum Græcia fatis.
At decus inuentæ speculæ dat fama Sinoni:
Hic est ille dolis potuit qui euertere Troiam,
Quā non mille rates, decimus nō vicerat annus;
Non gemini Atridæ, Atridisq́; infensus Achilles.
Dire Sinon, cuius nunc impia facta nepotes
Oderunt, meritoque omnis mox oderit ætas.
Hostibus inducias suspenso marte Lycaon
Prestitit ante alios: Ægides fœdera primus
Percussit. primus, famę si credimus, augur
Præpetibus certo signatis ordine pennis,
Prædixit ventura Caras: animalia rursus
Induxere tibi augurium (ni fallimur) Orpheu.
Ignibus Oiclides visis futura canebat,
Coniugis impulsus fatales visere Thebas
Proditione suæ: proh tristia fata, ruentem
Curribus, & bigis, hauserunt tartara vatem.
Fatidicæ Mantus genitor, scrutabile primus
Prodidit auspiciū: primus quoq́; Delphus aruspex
Creditur: Alcæo genitum, portenderet anceps
Ostentū quidquid, quidquid noua somnia ferrēt
Præcinuisse volunt: at sidera maximus Atlas
Cæpit, & ignotos astrorum pandere cursus:
Nunc verò Assyriis, Phariis, nunc ipsa Prophetis
Hoc dat fama decus. Sphæralis præmia formæ
Anaximandro referunt, Milesia tellus
Quem genuit. Maia cretus dedit ipse monaulon.
At satyrus geminam compegit Marsya buxum.

Marſya quem victum Phœbo fleuere Celenæ.
Æolus ignotos flatus ſcrutatus, & Euros,
Nunc etiam imperio ſiculis hoc vrget in antris:
Lydorumque rudes modulos, ac fiſtula Panos
Creditur: obliqui referuntur præmia buxi
Priamidæ: Dorij moduli perſcribitur auctor
Thrax Thamyras: Phrygios modulos tibi Martia vulgus
Iure refert: vates citharam mortalibus Orpheus
Imputat: Amphion plectri ſibi vendicat vſum:
Auctorem pars magna Linon creditque canitq.
Tu Terpandre locas ſeptenas ordine chordas:
Simonidiſque octona fuit: ſtatuiſſe nouenam
Te Timotheæ vetus fama eſt, ſine carmine plectrum
Geſtarat Thamyras: fidibus Linus addere can(tum
Thrax dedit: Amphion primo decus hoc Arachynto
Se contra meruiſſe refert: nec credere iniquũ eſt:
Cantus erat citharæ: deerãt ſed carmina: tandem
Hæc quoq. Tarpandrum vidit tribuiſſe vetuſtas.
Tibia grata fuit, caruit quoq. tibia cantu. (mùm
Dardanus, vt fama eſt, Trœzenius addere pri-
Nouerat inflexas certo diſcrimine voces.
At Iouis Idæi circum cunabula pulſis
Nunc clypeis dextra, galeis nunc arte retuſis,
Dictæa Curetes humo duxere choreas.
Vidit Creta rudes Pyrrhum traducere motus:
Pyrrhica deinde fuit ſaltatio priſca, vetuſti
Auctoris laudem referens & nomina Pyrrhi.
Proh pudor, & quis nã cæleſtia pectora vatum
Eſſe putet: primum, primique poëmatis ortum
Scire nefas: illũd Troiani tempore belli
Præceſſiſſe volunt: heroica carmina Phœbo
Delphica poſt cæſum cecinit Pythona iuuentus.
Hic quoque, ſi fas eſt, ortus elegia requirat
Ipſa ſuos, Colophon petulans quem iactat alumnum

Nescio: Spartano iuuenti dat fabula palmam
Archilocho: Cadmus soboles Milesia primus
Prodidit historiam: sed mox ludicra Lycaon
Gymnica Partheniis primus celebrauit in oris.
Natus in Hæmonia est funebris ludus Iolche,
Munus Acaste tuū: te Theseu laudat & Isthmos,
Quod te dāte nouas meruissent funera pompas.
Magnus olympiacā, nullo mōstrante, palæstram
Protulit Alcides. Pithi est pila lusibus apta.
Picturam Phario Giges commentus in orbe est:
Græcia sed Pyrrhum memorat tibi sanguine iunctum
Dædalæ Cecropiæ sublimis fama Mineruæ.
Niliaco primam Danaus de littore nauem
Soluit, & Argiuas cursum deflexit ad oras.
At ratis (vt fama est) debet fluuialis Erithræ:
Aut quū Troia feros, infensaq. Mœsia Thraces
Impeteret, spectasse rates se docta vetustas
Testatur: longa pontum sulcasse carina
Magnanimum Æsonidē pars maxima credidit: at sunt (biremis
Qui Samyram, Philarúmve putent: primosque
Vexit Erythræos: Amocles statuisse triremem
Fertur & insolito volitasse per æquora cursu.
Hinc alias alij numeroso remige puppes
Expediunt: sensim maior concreuit & ordo,
Vt quinquageno quaterentur verbere classes.
Structa nauis Tyrio est oneraria crassius hippo.
Primaque conspexit lembum sitibunda Cyrenę:
Celocem Rhodus ipsa dedit: Phœnicibus vndis
Cymba recens (si prisca fides est vera) cucurrit.
Inclyta Cercyram deduxit in æquora Cypros.
Phœnices primi, famæ si creditur, orsi
Obseruare polos, motusque & sidera cęli
Atque iter & cursus, medio signare profundo.
Est tua, ni fallor, remorum palmula Plateu.
Icarus infelix qui se malè credidit alis,
Ante alios rudibus spatiosa per æquora velis
Fecit

Fecit iter. Teretem primus tu, Dedale, malum.
Antennamque paras ratibus, longasque carinas
Se texisse Thasou iactat dilecta Lyæo.
Pisæus at volucri primus præfixit inermi
Rostra rati: debet Tyrrhenis anchora nautis;
Eupalmi fuit illa bidens: at cætera Tiphus
Instrumenta dedit, si vera est fama, carinæ.
Fluctibus in mediis ausus committere classes
Gnosius est Minos. Obtrũcat Hyperbius ipsum
Ante alios animal, mactauit cæde iuuencum
Primus. dira lues æternum furta Prometheus.
Tonsores tibi, Roma, nouos misêre Sicani.
Inque diem docuit subeuntem tonderẽ barbam,
Cui deuicta suum quondã dedit Aphrica nomen.
Munere cursoris casum didicere Quirites.
Gens domitrix rerum metiri Solis & ortum.
At Nasica diem certas discreuit in horas;
Lucis erant nullæ partes, discrimina nulla,
Ante illum: vix vesper erat disiunctus ab hortu.
Sed quid multa sequar? cõplecti carmine si quis
Omnia priscorum certet monumenta virorum
Et varias artes, rerumque ab origine primos
In commune datos vsus, hîc audeat idem
Connumerare vices, agitataque sidera cæli.
Quòd spirante Noto Libycæ turbentur arenæ:
Cecropioq. vagentur apes cũ vernat Hymetto.
Sistimus ergo gradum: placido considere portu
Me iuuet, emeritã fundet q. hîc anchora puppim.

OTTHONIS HEVRNI, IOANNIS F. BARBARICÆ *Philosophiæ Antiquitatum* LIBER SECVNDVS, qui & INDICVS inscribitur.

DE INDORVM PHILOSOPHIS *Tractatus.*

I.

De ZOROASTRO Bactrianorum rege, ac principe Magorum

CAP. I.

SOROASTRVM *Magiam excoluisse satis inter auctores conuenire scribit Plinius. Verùm non vnum, sed hoc nomine appellatos duos exstitisse, clarissimorum historicorum testimonia aperiunt. Vnum quidem Persam, qui illimem nitidisque vndis argenteum*

genteum antiquæ Magiæ fontem conspurcauit primus innumeris editis voluminibus, quibus plurimorum sæculorum conuersus pollex necem intulit. De hoc scribit Diogenes Laertius in proœmio; Enimuero à Magis*, quorum principem fuisse Zoroastrum Persam memoriæ proditum est, Hermodorus Platonicus in lib. De disciplinis, vsque ad excidium Troiæ annos quinquies mille computat. *Alterum Bactrianorum imperatorem fuisse patet,* qui risit eodem die quo genitus est, cuiusq; cerebrū ita palpitauit, vt impositam repelleret manū, futuræ præsagio scientiæ. *Hic cùm ex ephebis excessisset, vitæ genus ab ambitu & à curis remotum, id est longè à ciuitate semotum, desiderans, quódque amplum in quem ingenij vires excurrere possent campum aperiret, nullum beatâ agricolarum solitariâ viuendi ratione commodius repperit. Vt enim generosas feras cauea domat & frangit, sic altas mentes vrbicus ille carcer. Quamobrem in siluas secedens* ibi caseo vixit annis viginti, ita temperatè, vt vetustatem non sentiret. *Interim subtilis ingenij acumine Naturæ medullas penetrans, latentésque mirabilium effectorum causas indagans. Quibus veluti gradibus adiutus ad S. Dei cognitionem tandem peruenit; vt & Abraham, quem Philo Iudæus asserit Astronomiæ scientiâ ad veram Dei notitiam adscendisse, eique eam ob causam sacrificia instituisse. Ac ita Zoroaster*

* scilicet impuris.

Plinius lib. 7. cap. 16.

Idem lib. 11. cap. 42.

 primus

primus condidit Magiam puram, id est, Dei Opt. Max. venerationem, & siderum naturæq; virium cognitionem. Quòd innuens scribit Lib. 1. *Iustinus de Ninio,* Postremum illi bellum cum Zoroastro rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes Magicas inuenisse, & Mundi principia, siderumque motus diligenter spectasse. *Sed cùm iam maximos in diuinâ humanâque Philosophiâ progressus fecisset, ab alto culmine purissimæ doctrinæ præceps ruit in barathrum inquinatæ Magiæ. Ad tantam enim sciendi intemperantiam deuenit, vt ea quæ à sensibus remota sunt nec vllis externis signis se produnt cognoscere voluerit. Quòd cùm subtilis ingenij vi adsequi haud posset, impurorum dæmonum operâ ac* Arnobius. *ministerio adipisci conatus est. Vnde in bello quod cum Semiramide (quæ se Ninium Nini filium mentiebatur) gessit, non tantum armis, sed & Magiâ impurâ, id est dæmonum adiumento, cum illâ de imperij artisque dignitate certauit. O fax priscorum Philosophorum! O in aëre volans sapientum Pegase! Téne subire improba illa cura debuit? O si ab hoc duntaxat vitio immunis fuisses, vnicus etiamnum hoc æuo Philosophorum Sol disciplinarum illuminares mundum. Sed, proh dolor, te pessumdedit nimiâ doctrinæ affectatio, ac vt verè dicam, intemperantia;* Seneca. Plus enim scire velle quam satis est, intemperantiæ genus est. *Porrò vt ad eius scripta veniamus, de pretiosis lapidibus lib.*

lib. v. edidit. De astrorum effectis ex eorum inspectione prædicendis ac diiudicandis I. *De Agricultura* V. *Et vicies centum millia versuum futurorum prænunciorum, seu Oraculorum. Atque innumera alia, quæ Hermippus collegit, & in indices digessit ad ingens eorum auidorum leuamen. Horum librorum aliquot Ioan Picus habuit, vt ipse ad Ficinum scribens, de Chaldaicis quibusdam à se repertis libris, testatur.* Chaldaici hi libri sunt, si libri sunt & non thesauri. Audi inscriptiones. Patris Ezræ, Zoroastri & Melchiar, Magorum oracula. In quibus & illa quoque quæ apud Græcos mendosa & mutila, integra & absoluta leguntur. Est & in illa oracula Chaldæorum sapientum breuis quidem & salebrosa, sed plena mysteriis, interpretatio. Est itidem & libellus de dogmatis Chaldaicæ Theologiæ, ac in illum Persarum, Græcorum, Chaldæorumq́. diuina & locupletissima enarratio. *Hos libros Ficinus scribit post obitum Pici inter eius scriptorum reliquias se reperisse, sed adeò deprauatè exaratos, vt vix ab ipso Pico legi possent. Quos omnes inuidus aui dens consumpsit. Scripsit & Syrianus cognomento Magnus libros x in Logiã, id est oracula Zoroastri. Sed, proh nefas! præclarissimi illi thesauri densissimis aui tenebris obruti iacent, forsan nunquam meliorem lucem visuri. Vixque è tanto Zoroastri scriptorum naufragio paucula lacera oracula à*

Ludo-

Ludouico Tiletano conseruata sunt; qui ea quinquagesimo sexto abhinc anno Parisiis cum commentariis Plethonis Gemisti publicam lucem spectare iussit, sub titulo Magicorum oraculorum qui â Zoroastre oriundi sunt Magorum. *Verùm hæc saliuam tantum auidis altissimarum scientiarum ingeniis mouerunt, quorum desiderium nostro æuo anno 1593, vberiori mensâ expleuit Franciscus Patritius; (qui philosophorum nostri æui, testor Veritatem, facilè princeps esset, si tantum olei in Aristotelis dogmatibus defendendis, quantum in obtrectandis, consumeret.) is, inquam, sitim sedauit, hisce oraculis augmentum maximum adferens ex Proclo, Hermia, Simplicio, Damascio, Synesio, Olympiodoro, Nicephoro, Arnobio. Nos illa Romanâ linguâ donatâ & rigidiori limâ expolita, vt clarius sententiarum lumen fulgeat, hic ponimus.*

ZOROASTRI

Bactrianorum regis, ac principiis Magorum, oracula Magica sincera.

De Diuinâ

Vnitate, Dualitate, ac Trinitate.

Cap. I.

Psell. VBI est Vnitas paterna? Multiplicata est Vnitas & generauit duo.

Dualitas enim apud hunc ſedet, & intelli gibilibus partitionibus fulget, cunctaque gubernat, ac ordinat quodlibet inordinatum. Totoque in mundo ſpendet Trinitas cuius princeps eſt Vnitas. Ac hic ordo omnis diſtributionis eſt principium. In tria namque æterni patris mens quæ cuncta gubernat, omnia vt ſepararentur dixit. Cui Voluntas annuit, omniáque diuiſa fuere: ac apparuerunt Virtus, Sapientia, & multiſcia Veritas. Hinc Trinitatis facies manauit ante eſſentiam, non quidem primam, ſed illam quæ tribus hiſce principiis menſuratur, quibus cuncta ſeruire ſcias. Damaſc. Proclus. Damaſc. Proclus. Damaſc.

Fons fontium, & fontium cunctorum, matrix continens cuncta, vnde vbertim exilit multiiugæ materiæ generatio. Inde protracta cæleſtis flamma ſubobſcuri ignis floſculus, cauitatibus inſiliens mundorum, deorſum demittit radios admirandos. Proclus.

De Deo Patre, & Mente diuina.

Cap. II.

SE ipſum rapuit Pater, potẽtiâ ſuâ mentali non claudens proprium ignem.

A paterno principio nihil imperfectum rotatur, nam cuncta perfecit pater, & tradidit Menti ſecundæ, quam vocat primam

vniuer-

vniuersum hominum genus.

Proclus Progmata patre lux crebrò solitarium otium colens, decerpis è Patris robore mentis florem.

Opera paterna Mens ex se genita intelligens; inseuit omnibus vinculum flagrantis amoris, quo in infinitum perdurent mutuiter se amantia.

Mens non omnibus quæ à Patre intelligibiliter contexta sunt monstrat.

Vt in amore perdurent inuiolata permanentia Mundi elementa, ipsa, Intelligentia vim habet paternam Mentem vt indere possit cunctis fontibus & principatibus.

Mens est finis paterni profundi, & fons intelligibilium, neque prodiit, sed Deo nutriente silentio mansit in aditis profundoque paterno.

Damasc. Pater haud in materia ignis quæ in natura principem locum tenet suam potentiam operando claudit, sed Mente.

Symbola per Mundum seminauit paterna Mens, quæ intelligibilia intelligit, & ineffabilia pulcherrimè exornat.

Pater absolutissima partitio, & impertibilis, Mente intelligibilia continet ac sensum Mundis indit: atque etiam Mente retinet intelligibilia, & animam Mundis inducit.

Euseb. lib. 1. De Præparat. Euang. cap. 7. **Deus caput accipitris habet, estque incorrupti-**

corruptibilium primus, ſempiternus, ingenitus, partium expers, ſibi ſimillimus, omnium bonorum gubernator, non indigens muneribus, optimus, prudentiſſimus, iuris pater, Iuſtitiam ſine ſtudio callens, naturâ perfectus, ſapiens, vnicus inuentor ſanctæ naturæ.

De Diuinâ Mente, Intelligibilibus, & Intelligente naturâ.

CAP. III.

VNA eſt Mens intelligibilis. Non eſt Mens ſine intelligibili, nec ſeparatim exiſtit. Damaſc. Procl.

Quædam ſunt intelligentia, & intelligibilia, quæ dum intelligunt intelliguntur.

Intelligenti alimentum eſt intelligibile.

Intelligibile diſce quoniam extra mentem exiſtit.

Eſt Mens quæ empyræum Mundum ducit, nam Mentis eſt Mens quæ Mundi ignei eſt artifex.

Qui ſupra mundanum paternum gurgitem eſtis intellgentes.

Intelligibilis omnis diſtributionis princeps eſt.

Eſt quoddam intelligibile quod mentis flore intelligere tantum fas eſt. Et etiamſi coneris vt Mentem & illud intelligas, aliquid

quid intelligens, non illud tamen intelliges. Nam circumquaque lucidi roboris potentiâ est circumdatum. Et sanè non decet Intelligibile illud intelligere egregia illa, quæ intelligunt partitionibus fulgentia. Sed Mentis amplæ amplam flammam, quæ omnia metitur præterquam illud intelligibile. Quare operæ pretium est hoc intelligere: & quod si mentem tuam inclinaueris, non exiguam eius intelligentiam adsequeris. Quare purum animæ tuæ oculum conuerte, vacuamque mentem intende in intelligibile, vt discas intelligibile; etenim extra mentem existit.

Deum intelligit omnis mens: non enim sine Intelligibili est Mens, nec sine Mente Intelligibile.

Ignis est intelligens, cuius cælestibus flammis cuncta seruientia Patris persuasorio consilio cædunt. Ille intelligit, semperque impigrâ vertigine perdurat, ac fontes & principia vertit. Eius nomen veneran-dum irrequietâ volutatione insilit Mundis, ob terribiles Patris minas.

Fons vitam gignens sub duabus Mentibus continet animas.

Faber qui per se operans fabricatus est Mundum, is ex Mente exiliit primus, igni ignem indutus, ignisque sui florem retinens, quo fontanos vinculorum cratheras temperat. Intelligētibus partitionibus fulget,

ger, omniaque amore implet, figurans infigurata, quæ veluti apum examina, per Mundi corpora feruntur ea perrumpentia.

Quæ Mens dicit ſanè intelligendo dicit.

Illis quidem adeſt Potentia: at ab illo eſt Mens.

*De * Iyngibus, Idæis, & Principiis.*

Cap. IV.

PLVRIMÆ quidem hæ ſcandunt lucidos Mundos, iis inſilientes, in quibus ſunt tres ſummitates.

Subſternitur ipſis principale pratum.

Principia intelligibilia Patris opera intelligunt, & ſenſibilia opera corporibus reuelarunt.

Cuncta excedẽtes ſtant vt dicãt teſtimonium de Patre, & materiâ: & vt latentium manifeſta imitamina operetur, ac latentia in manifeſtam Mũdi fabricam inſcribant.

Mens Patris inſonuit intelligens vigente conſilio omniformes Idæas, quæ fonte ab vno euolantes proſilierunt.

A Patre erat conſilium, & finis.

Coniunguntur Patri per aliam atque aliam vitam, è variis riuulis manantem.

Partitæ ſunt, & intelligenti Igne diſpoſitæ in alias intelligentes. Nam mul-

** Iynx latinis Motacilla, auicula eſt maculoſis plumis collo oblongo, lingua admodum protenſa, caudam motitans, ceruicemq. volutans. Hanc veneficæ ſibi accommodam putantur ad amatorias incantationes; hanc rotæ alligant ac incantantes carmina circumuoluunt. Meminit huius Theocritus in Pharmaceutria & Pindarus Pythior. Ode 4. Vbi narrat quomodo Venus adiuuerit per Iynga Iaſonem, cum Vellus aureum peteret. Hic videntur ſignificari Angeli Dei amore flagrantes.*

tiformi Mundo rex præposuit typum intelligentem, incorruptibilem, per Mundum non promouentem vestigium formæ per quem Mundus omni ex parte idæis gratiosus apparuit. Formarum enim vnus est fons, ex quo agmine facto ruunt plurimæ diuersæ, immēsæ, penetrantes Mundi corpora. Quæ per immensos sinus, similes apum examinibus feruntur: & alibi aliæ notiones intelligentes, & è paterno fonte, vigilis temporis plurimos igneos flores decerpentes.

Vigor principij productricis Ideæ primus à Patre emissus est, eiusque est primus fons.

Intellectæ Iynges à Patre, intelligunt & ipsæ, nam consiliis ineffabilibus mouentur, vt intelligant.

De Hecate, Synochis, & Teletarchis.

Cap. V.

Ex ipso enim omnia exiliunt, & acerba fulmina, & cælestium flammarum capaces sinus, & lucidissimi vigoris prognatâ patre Hecate. Hic ignis cuncta animantis florem, & fortes polorum igneos spiritus, custodire iussit cælestibus suis flammis summitates.

Immiscet

Immiſcet proprij vigoris robur in Synochis, vt Mundus habeat intelligentes ſuſtentatores inflexiles.

Ignis & largitor & opifex eſt eius quod vitam dat, quia & Hecates vitam generantis ſinum implet, & igneum vigorem vitam largientem, qui magnæ eſt potentiæ, inſtillat Synochis, quæ patris operum ſunt cuſtodes.

Seipſum ille exprimit, annitens ſimulachris ſui ſimilitudinem circumfundere.

Teletarchæ ſub Synochis ſunt comprehenſæ, & etiam ſub illis intelligens Ignis, cuius cæleſtibus flammis omnia obediunt & ſeruiunt.

Quæcumque materialibus ſeruiunt Synochis, (quæ ſunt cinctæ robore armaturæ reſonantis luminis, perfecto vigore mentem armantis) illa multifaria inditia profundere percipio, & non ſparſim, ſed collectim per empyreos fontes incedere, atque ea indiuidua, & ſenſibilia efficere, quæ participant formas corporum effectrices, materiæque dicatas.

De Anima, & Natura.

CAP. VI.

ANIMVS ignis, Patris potentiâ eſt lucidus, immortaliſque cùm ſit, per-

manet, vitæque eſt dominus ac omnia Mundi gremia implet: nam eſt quædam mentis ſimilitudo; at quod ex ipſo naſcitur corporeum quid habet; nam è miſtis riuulis, incorruptibilis ignis opera efficit.

Poſt paternas notiones ego anima habito, calida, animans omnia: nam ſanè mentem in anima, animam autem in inerti noſtro corpore repoſuit hominum Pater atque deorum, qui vbertim animat lucem, ignem, æthera, mundos.

Naturalia opera exiſtunt intelligenti Patris ſplendore: nam anima eſt quæ exornauit magnum cælum, & quæ ſimul cum Patre exornat, ipſiuſque cornua ſurſum verſus ſunt firmata.

Circa Deæ humeros Natura immenſa attollitur, & indefeſſa imperat mundis, operibus, & cælo vt currat æternum decurrens curſum, Soliſque vt circa centrum adſuetus veniat.

Naturæ fatale nomen ne inſpexeris.

De Mundo.

CAP. VII.

FABER qui per ſe operans fabricatus eſt Mundum: nam & erat altera quædam ignis moles, quæ omnia effecit, quæ in corpore ſunt mundano.

Mun-

Mundus vt sit conſpicuus, & non vt membranâ extenſus totus conſtat ex igne, aquâ, terrâ, & omnium altore aëre.

Ineffiabilia, & quæ proloqui poſſunt Mundi ſymbola, alia ab aliâ vitâ è variis riuulis proſiliunt, fluentia ex ſummo loco in oppoſitum, per terræ centrum, & aliud quintum medium igneum vitam largiens, vbi id ad materiales ſcaturigenes vſque deſcendit. Quod medium ſuo centro lumine reſonante ſe ipſum voluit, & alium ignem fontanum, qui Empyreum Mundum ducit centro, quo ad omnes æquales fuerint. Per Mundum enim ſeminauit centrum, quod medium inter cuiuſlibet partes fertur, cuncta comprehendens paterna Mens: eſt enim mentis quædam ſimilitudo; at id quod genitum eſt corporei quid habet.

De Cælo.

Cap. IIX.

PATER firmamenta mundorum in ſeptem moles formauit, cælum rotundâ figurâ vndique concludens, magnumque cætum aſtrorum inerrantium fixit, ac aliorum errantium conſtituit ſeptenarium; Terram in medio poſuit, aquamque in terræ cõcauitatibus, & ſupra hæc aërem. Fixit magnum cælum aſtrorum inerrãn-

tium, extensione haud laboriosâ, sed fixione nullum in motu errorem committente. Exit magnum cætum astrorum inerrantium, ignem igni congregans fixione nullum in motu errorem committente.

Sex eos constituit, septimum Solis.

Coniecit ignem in medium, inordinatum eorum ordinē, benè ordinatis Zonis suspendens.

Parturit Dea magnum Solem, & splendidam Lunam.

Æther, Sol, Lunæ spiritus, aëris ductores.

Solares circulos, lunares strepitus, aërios sinus; cantus ætheris, Solis, Lunæ fontium, latraëris, lunaresque cursus, & polos Solis, ipsa colligit recipiens ætheris harmoniam, Solisque, & Lunæ, & omnium quæ aëre continentur.

Ignis, ignis deriuatio, & ignis omnia administrans.

Radij in lumine conspiciuntur in fastigio, vbi Saturnus, Sol assessor purum polum intuens, cursusque ætherius, & ingens Lunæ impetus, & flexus aërij.

Magnus Sol, & splendida Luna.

De Tempore.

CAP. IX.

DEVS mundanus, æternus, infinitus, iuuenis & senex, circumuoluens

uens ſeipſum, atque aliud fontanum quod empyreum mundum ducit.

De Animâ, Corpore, & Homine.

CAP. X.

OPORTET te feſtinare ad lucem, & patris lumina, vnde tibi immiſſa eſt anima, magnâ mente indutâ.

Hæc Pater mente concepit, mortalemq́ue protinus animauit.

Cuncta comprehendens paterna mens ſeminauit in animis, amore profundo eas replens: impoſuit enim mentem in anima, in corpore verò nos repoſuit hominum pater atque deorum.

Omnia incorporea ſunt diuina, in corporibus autem ſunt ligata veſtrâ cauſâ, qui tamen illa non poteſtis continere, ob corpoream in quam penitus immerſi eſtis naturam.

In Deum iaciunt validas quas trahunt faces, deſcendentes à Patre, quo anima deſcendit in faces.

Empyreos carpit fructus floris, animam nutrientis.

Mente concipientes opera Patris fatales Parcæ inuerecundam fugiunt alam.

Etſi putes hanc animam te videre rede-

untem, aliam tamen immittit Pater, vt numerum augeat.

Sanè illæ ſunt beatiſſimæ ſupra omnes animas, quæ de cęlo in terram ſunt effuſæ.

Illæ animæ ſunt diuites, & inefflabilia ſtamina habent, ò rex, quæcumque vel à te fulgente, vel à Ioue ſunt prognatæ.

Ex valido Neceſſitatis ſtamine ducit immortalis animæ profunditas originem, ad quam crebro oculos ſurſum extende, nec deuerge deorſum in nigricantem Mundum, cui perpetim ſubiacet infida vorago, ac infernum vndique tenebris obſitum, ſqualidum, idolis gaudens, ſapientia priuatum,, præruptum, tortuoſum, cæcum, profundum ſemper inuoluens, cuius iners & obſcura facies perpetuò obnubitur, eſtque nihil aliud quàm Mundus odio proſequens lucem, ac variantes motuum vices.

Quære Paradiſum. Quæres tu animæ ſcaturigenem? ex quibus, aut quo ordine? Corpori es impoſitus ab ordine à quo effluxiſti.

Dato ſacro ſermoni maximam quam potes operam, neq́ue propende deorſum verſus, latet enim ſub terrâ præcipitium quod per ſeptem diuerſas vias attrahit, ſub quo exhorreſcendus Neceſſitatis eſt thronus, tu fatum ne augeas.

Anima hominum in ſe quodammodo Deum cogit.

Nihil

Nihil mortale habēs, tota à Deo est ebria.

Harmoniam resonat, sub cuius dominio est corpus mortale, quod igneam mentem ad opus pietatis extendit.

Et fluxile corpus seruabis.

Est & idolo in loco lumine vndique circumfusio quædam portio.

Ignis habenas tende animæ non factæ.

Igne calens cogitatio principem habet ordinem.

Mortalis igni propinquans à Deo lumen accipiet.

Quiescenti in Deo, Dij perfectionem dabunt.

Pœnæ hominum sunt angores.

Et malæ materiæ germina, vtilia sunt, & bona. [ca.

Spes nutriat te ignea, in regione Angeli-

Sed non recipit illius voluntatē paterna mens, donec non exierit ex obliuione, & proloquuta fuerit puram tesseram paternam, eam in memoriam reuocans.

His dedit potestatem vt eam lucem, quæ discendo consequi potes, suscipere possint.

Ex his somnolentis, sui fructus dedit robur.

Ne spiritum macules, neque profundum superficiem facias.

Materiæ quisquilias ne præcipitio relinquas.

Ne educas, ne exiens habeat quippiam.

Vi corpus relinquentes animæ ſunt puriſſimæ.

Animæ expulſores, & reſpiratores, facile ſolui poſſunt.

Siniſtris in lumbis, Hecates virtutis eſt fons, totus manens, virginitatem non abiiciens.

O homo audaciſſimæ naturæ artificium.

Néque mentem tuam ſubeant ingentes terræ menſuræ, in terra enim ne Veritatis quidem planta eſt.

Néque Solis menſuras menſures, regulas congeres: æterno conſilio fertur, non tuâ gratiâ.

Lunarem curſum, ſidereum progreſſum, Lunæ ſtrepitum, dimitte, nam perpetim currit Neceſſitatis operâ.

Sidereus progreſſus tuâ gratiâ nòn eſt in lucem æditus.

Latus æthereus auium pes, numquam eſt verus.

Vas tuum inhabitabunt terræ beſtiæ.

Vos terra ſepeliet ad natos natorum vſq.

De Dæmonibus, ac Sacrificiis.

CAP. XI.

NON ſacrificia, non viſcera cupio: huiuſmodi omnia ſunt nugamēta, emptitiæ impoſturæ firmamēta. Tu longè hæc

hæc fuge si velis reserare sacrum Pietatis paradisum, in quo Virtus, Sapientia, & omnia bona congregantur.

Natura suadet esse Dæmones puros, & mala materiæ germina, & vtilia, ac bona: verùm hæc in abditis septis mẽtis reuoluo,

Ignis simulachrum saltim in aëre in tumorem extensum, vel etiam igne infiguratum, à quo manat præcursoria vox, & lumen vbertim radians, strepitum edens, conuolutum: vel equum te videre lumine valdè splendentem, eiusque humeris, puerum inequitantem, ignitum, auro distinctum, sagittas emittentem, ac humeris crebro instantem, mihi si dixeris, ilico omnia faciem leonis induere conspicies. Tunc nulla cælestis motus curuitas apparet, astra non lucent, Lunæ lux offuscatur, terra consistit, cuncta fulminibus impleta cernuntur.

Ne dixeris, per se Naturæ visibile simulachrum esse, non enim illud te spectare oportet antequam corpus purgetur, illud enim semper animũ à sacris rebus abducit.

Ex terræ voraginibus exiliunt terrestres canes, nunquam verum corpus mortali homini ostendentes.

Operare circa Hecaticum turbinem.

Nomina barbara nunquam mutaueris, sunt enim nomina singulis à Deo data, potentiam in sacris ineffabilem habentia.

Quando

Quando videris sinè formâ sacrū ignem collucentem saltim per totius Mundi profundum, tunc audi ignis vocem.

De Priscorum Indorum philosophorum variis generibus.

CAP. II.

BRACHMANNOS *oriundos esse ab Abrahami patriarchæ filiis natis ex concubinis, quos ille in Orientem ablegauit, firmissima antiquitatis firmant testimonia. Adamantinis enim literis hæc verba clarissimum eius testimonium præbentia, diuina mens exarauit.*

1 Pergens verò Abraham accepit vxorem, cuius nomen Ketura.

2 Quæ peperit ei Zimramen, & Iokschanem, & Medanem, & Midianem; Iischbakum quoque, & Schuachum.

3 Iokschan autem genuit Schebam & Dedanem: filij verò Dedanis fuerunt Aschurim, & Letuschim, Leummim.

4 Filij autem Midianis Hepha, & Hepher, & Chanoc, & Abidah. & Edaha: omnes hi *fuerunt* filij Keturæ.

5 Dederat autem Abraham quidquid *erat* sibi, Iitzchako:

6 Filiis verò concubinarum vxorum quas habuit, dedit Abraham dona: ac dimisit

cos

eos à Iitzchako filio suo, dum adhuc viueret, Orientem versus, ad regionem Orientalem *incolendam. Dona hæc quæ Abraham hisce suis filiis largitus fuit, indubiè, præter aurum & vestes, maxima & amplissima fuere, artes nimirum & disciplinæ reconditæ, pura Astrologia, ac Magia naturalis, quâ non olim duntaxat fulsêre, verùm etiamnum & hodiè tantum pollent, (siquidem fides propitia Lusitanis, oculatis eius testibus) vt inuia humanæ cognitioni culmina scandant. Eos in duo genera digerit, ex Onesicrati sententiâ, Strabo,* alios Brachmãnos, alios Germanos nuncupans. Brachmanni hæreditate acceptam Sapientiam excolebant, erántque in magno honore, quod dogmata rationi valdè consona fouerent. Germanos, alienos nec ex sapientium prosapia oriundos, ad Philosophiæ cultum admittebant. Illorum honoratissimi Hyoboli, quod in siluis solitudinibúsque sub dio agerent, appellati Frugibus, frondibúsque vitam sustentabant, ab omni carne abstinentes. Nudi incedebant, (vnde nomen Gymnosophistarum adepti) solo arboris cortice amicti, aut lineo è mollibus filis indumento; quod aquis non expurgabatur, sed inquinatum, flammarum violentiæ, sine noxâ abstergendum iniiciebatur. Vini, Veneris, coniugiíque, nisi septem & triginta in eo vitæ genere annis exhaustis, prorsus insolentes erant. Cum regibus de Republica, de humanis diuinísque rebus, siderum cursibus*

*Lib. 15. Plinius. lib. 7. cap. 2.

Diodor. Sicul.

quibus

quibus toti immersi herebant, ac reliquis quæ in intimis naturæ medullis reposita latent, acutissimè disserebant. Cúmque omnium voluptatis illecebrarum, quibus hominum vita polluitur, exortes essent, maximâ virtutis apud omnes splendebant authoritate. Solem ab exortu ad occasum vsque, eodem in statu gradu firmato, rigidis oculis intuebantur: Caucasi niuium frigus, truculentámque hiemis vim, sine vllo dolore deuorabant: ac penetrantem, consumentémque ignis violentiam, sine gemitu perferebant. Tanto autem, támque multiplici exercitio corpori robur afflabant, vt mentes confirmarent, immobiléſque in iudiciis ac consultationibúsque redderent. Omnísque eorum Philosophia finem ac terminum illum vnicum habebat, vt bonam vitam pia mors terminaret. Ad hos, innumeris difficultatibus exantlatis, Appollonium Tyaneum contendisse Hieronimus ex Philostrato testatur: vt nimirum eorum principem Iarcham in aureo throno sedentem, ac de Tantali fonte potantem, audiret inter paucos discipulos disserentem de Natura, siderum motibus, variantibúsque dierum vicibus. Hi Victoriæ alumnum Alexandrum Magnum, cum ad illos Indiam domans peruenisset, increparunt, quod humanâ sorte non contentus, vniuersum Orientem latrociniis infestaret. Hi pleraque Philosophiæ Pythagoricæ contulerunt, quæ mentium documenta, corporumque exercitamenta: quod

Apuleius lib. 2. Floridorum

partes animi: quod vices vitæ: quæ Diis manibus pro merito suo cuique tormenta vel præmia. *Ethicam etiam ipsos præclarè excoluisse, ex hisce Apulei verbis euidenter clarescit:* Hos ego maximè admiror, quod homines sint periti non propagandæ vitis, nec inoculandæ arboris, nec proscindendi soli. Non illi norunt aruum colere, vel aurum colare, vel equum domare, vel taurum subigere, vel ouem, vel capram tundere, vel pascere. Quid igitur est? vnum pro hisce omnibus norunt, Sapientiam percolunt tam magistri senes, quàm discipuli minores. Nec quidquam apud illos æquè laudo, quàm quod torporem animi & otium oderunt. Igitur vbi mensa posita, priusquam edulia apponantur, omnes adolescentes, ex diuersis locis & officiis, ad dapem conueniunt. Magistri perrogant quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerint. Hic alius se commemorat inter duos arbitrum delectum, sanatâ simultate, reconciliatâ gratiâ, purgatâ suspicione, amicos ex infensis reddidisse. Inde alius parentibus sese quidpiã imperantibus obedisse: & alius aliquid meditatione suâ reperisse, vel alterius demonstratione didicisse, denique cæteri commemorant. Qui nihil habet afferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur. *Porrò Germanes corporis humani cognitioni inherebant, sub Ioue*

Lib. 2. Florid.

frigido

frigido non degebant: oriza & farina iis cibus: medicinam per cibos faciebant: inter medicamenta unctiones ac cataplasmata maximè laudabant. Horum quidam diuinationibus, ac incantationibus dediti erant, Necromantiámque exercebant, ac vagabundi oppidatim oberrabant. His cunctis Premmæ aduersarij erant, hominum genus contentione prognatum ac altum reprehensionibus, in Montanos, Gymnetas, ac Ciuiles, Domesticosque diuisum.

Io. Metellus.

De recentium Indorum Philosophorum variis generibus.

Cap. III.

Io. Metellus in epistol. quam Histor. Orosii de rebus Emanuelis præfixit.

INDORVM philosophi hoc æuo in duo genera scinduntur, in Baneanes ac Bracmanes. Baneanes sectis licet inter se discrepent, in eo tamen omnes concordant, ne rem animantem necent, neue interemptâ vescantur. Hoc præceptum adeò religiosè obseruant, vt aues captas redimant, ac pristinæ libertati restituant. Neq; napis, alliis, pulmentis sanguineo colore pollutis, nēque vino aut aceto, aut Nimpa, Ortaquaue, potionum generibus, vtuntur. Longis ieiuniis se macerant, de nocte duntaxat pauxillum sacchari, cum lactis aut vini potu sumentes: eorúmque superstitiosiores viginti interdum diebus genium suum alimentis defraudant. Aquam sacchari dulcedine infectam,

ctam, auibus & formicis bibendam proponunt. Imò in Cambaite nosocomium instituere, in quo aues morbidæ pristinæ sanitati restituuntur, ac curatæ liberæ dimittuntur. Hæcq; eleemosynæ apud illos vices supplent. Morituri nonnulli solent certam facultatum partem viris quibusdam legare, vt per deserta, ac Nymphis inuisa loca vagentur; peregrinis viatoribúsque aquam sitis leuamen, offerentes. Eodem vestium genere, quo quondam Brachmanni, vtuntur: animarúmq. per varia corpora oberrationem credunt: quam sententiam & Bramanes amplectuntur, qui degunt in Balaguate, Cambaiâ, & Malauare. Cibũ quoq; Bramanes non attingũt nisi prius toto corpore loti. In maiori quã Baneanas sunt veneratione, deliguntúrq ex ipsis regũ scribæ, negotiorum procuratores, quæstores, & legati, regia etenim stirpe sunt oriundi: vnde Bencius,

Templum erat antiquæ mediis in sedibus vrbis, Lib. 3. Quinquemartyrum.
Porticibus longis solido de marmore, cinctum.
Munifico luxu: Bramanum nobile donum:
Bramaum quos imperiis opibúsque superbos
(Nam regum veteri ducunt ab origine gentem)
India cælestum venerata æquauit honori,
Atque Deos, & fana Deum, defendere iussit.

Horum quicumq. maritima loca, Cũcama dicta, incolunt, omni carnium genere, vaccinâ ac porcinâ duntaxat exceptâ, vescuntur. Libros quosdam & prophetas habent quibus superstitionem suam stabiliunt: sacrorum enim sunt antistites, curámque phanorum idolis

dicatorum, quæ Pagodos nuncupant, gerunt, eáque inhabitant: quod innuens canit Bencius:

Præco abit, & longè proclamans voce canora
Lib. 3. Quinque martyrum. Terribili monitu horrificat: nā flectere gressum
Eque via media spatium concedere plebem
Bramanis Naitisque iubet: communis vtrisque
Maiestas, similes fastus, moresque superbi.
Vna est Bramanis sacrorum cura, deumque
Stirpis ab exortu: sunt illis linea fila
E collo latus ad medium connexa: tiara
Stat capiti, laxæque fluunt e corpore vestes,
Quas læuo ex humero nodo labēte retorquent.
At Naites regale genus, deuotaque forti
Pectora militiæ, si vulgus forte videndum
Se ferat, esse fremit culpam vel cæde piandam,
Ni fuga subsidio subeat, vacuumque relinquat
In medio plebs iussa locum, vel limite cedat.
Ipsi autem, seu bella tonent, seu fracta quiescant
Arma ferunt, harpen dextra, cetramq. sinistra:
Falcatus namque harpe ensis, sed cetra lacerto
Inseritur, pectusque tegit: sine talibus armis,
Non acies incunt Indi, non prælia tentant.

Adorant Bramanes vaccas, eásque non mactandas docent. Deum existimant nigrum esse, hunc colorem, sibi quòd sit familiaris, pulcherrimum arbitrantes. Hinc ipsorum idola nigrore horrendo sunt conspicua, impuróque oleo delibuta: adeo tetra ac fœda visu, vt eorum aspectus intuenti horrorem incutiat. Plebi Idola maxima ingluuiei esse persuadent, ideóque pecuniam ac varia esculentorum genera iis deferenda: hocq; commento sibi suísque opulenta Cerealea procurant. Credulum enim vulgus, multifaria donaria his Idolis cotidie offert.

Ast illi

Ast illi velut in furorem acti exultant cantillantes, muneráque diis oblata basumunt, vulgo persuadentes tunc ea ab Idolis consumi. Et frequenter, vt sibi affatim de cibis prospiciant, populo denunciant Idola irâ excandescere, quòd imperata non exequãtur: & ni pleno sinu donariis effusis ea sibi propitiẽt indubiè futurum confirmãt, vt aut occidantur ab illis, aut calamitatibus afficiantur, vel dæmonibus eorũ ædes infestentur. Hisce technis miserũ populum impeditum detinẽt. Quod & eorũ nonnulli interdum haud dissimulãt, egestatem prætendentes, quod præter saxea ista idola nihil possideant. Amaracum herbã magnâ superstitione, & ceremoniis, pro numine venerãtur. Interdum tamen inter ipsos, licet rarenter, quidã peritissimi Astronomiæ reperiuntur: plerique autem plus malitiæ, quám doctrinæ, possidẽt. Polygamiam, quam ipsa auersatur natura, amplectuntur. Decem diuina præcepta, singulorumq; apertissimam explanationem, litterarum monumentis sibi traditam, callent. Quos in disciplinam suam admittunt, eos sanctè polliceri compellunt se mysteria quæ sunt audituri, nulli mortalium vnquam reuelaturos. Inter hæc illud primarium est, nimirùm ne vnquam in vulgus effutiant Deum Opt. Max. cæli & terræ creatorem esse adorandum. Linguam quandam peregrinam, vti nos Latinam, Magiámque & incantationes, in scholis docent. Diebus dominicis, qui inter illos doctores sunt, cultui diui-

no vacant, precibus Deum cæli & terræ creatorem adorantes, hanc sententiam subinde repetentes, Adoro te, ô Deus, cum tuâ gratiâ & auxilio in æternum. *Ingenio sunt acutissimo. Capillos â primis ætatis temporibus summâ curâ nutriunt, & funiculum triplicem (insigne id sectæ est) magnâ superstitione è collo gerunt. E manibus Christianorum, imprimis religiosorum, cibum capere sacrilegium iudicant.*

DE BABYLONIORVM ET PHOENICVM Philosophis.

TRACTATVS II.

De Bel Babylonico Semiramidis patre.

CAP. IV.

Diodor. Sicul. lib. 2. Rer. antiquar.

Hieronim. lib. 1. in Hoseam.

Herodot.

IN meditullio Babylonis Semiramis Bel patri suo templum extruxit, postquam ingens incrementum imperio famæq; suæ attulisset, subiugatione Zoroastri Bactrianorum regis, ob Magiæ peritiam, vt rumor erat, insuperabilis. Erat templum hoc figurâ quadratâ, ac æreis portis conspicuum, inq; eius vmbilico turris stadij altitudine conspiciebatur, cui

altera

altera turris erat imposita, eiq; alia rursum ad octauam vsq; continuata serie. Ex hac turri Chaldæi sidera Solémque accuratè obseruantes, cùm supra nubes nebulásque positi essent, plurima inuenere ad Astronomiæ incrementum facientia: diémque inter duos Solis exortus, vt Athenienses inter duos occasus, Vmbri à meridie in meridiem, *definiuerunt. Erat etiam in hoc templo ara, in quâ Bel cotannis centum millia talentorum libanoti Chaldæi adolebant. Erat templum hoc magnificum, à Nebucatnetzar manubiis Iudaici Syriacique triumphi exornatum: cui perenne testimonium hisce verbis ipsa Veritas fixit.* Etiam ex instrumentis domus Iehouæ deportauit Nebucatnetzar Babylonem: quæ indidit templo suo in Babylonia. *& omnem caliginem fugans, vniuerso Mundo hanc lucidissimam facem proposuit:* Anno tertio regni Iehoiakimi regis Iehudæ, venerat Nebucatnetzar, Rex Babyloniæ Ieruschalaima, & obsederat; ea:

Plinius lib. 2. cap. 77.

Chronicorum 2. cap. 36. 7.

Daniel. cap. [illegible] versu.

Quumque tradidisset dominus in manum eius Iehoiakimum Regem Iehudæ, & partem instrumentorum domus Dei quos deportauit in terram Schinharis in domum Dei sui: instrumenta verò illa exportauit in thesaurum Dei sui. *Quæ instrumenta iussu Cyri inde exempta fuere, ac tradita Scheschbatzari principi Iehudæorum, vt ea Ieruschelaima reportaret: quod Hezra te-*

2. versu.

cap. 1.

stimonio clarescit. 7. Etiam ipse Rex Cyrus produxit instrumenta domus Iehouæ; quæ eduxerat Nebucatnetzar Ieruschalaimis, indideratque domui deorum suorum.

8. Et producta ea Cyrus Rex Persidis per Mithradatem præfectum ærario: numerauit Scheschbatzari principi Iehudæorum.

9. Quorum hic erat numerus: pelues aurei, triginta, pelues argentei mille, secespitæ viginti nouem:

10. Crateres aurei triginta; crateres argentei secundarij quadringenti decem: instrumenta alia per millia.

11. Omnia instrumēta ex auro & argento, quinquies mille quadringenta: omnia ista deportauit Scheschbatzar, quum deportata multido deduceretur è Babylone Ieruschalaima. *Templum hoc Bel postea anno* c x x. *à Xerxe solo * aquatum est; monitúque Chaldæorum tandem ab Alexandro Magno instauratum. Patri autem suo Semiramis nomen Bel, idest Solis linguâ Chaldaicâ, imposuit, vt non secus quàm Sol à Chaldæis veneraretur. Solem enim illi, vtpote astrorum (circa quæ totum eorum studium versabatur) principem, egregio cultu colebant Postea autem nomen hoc Bel, imperatores satrapæq; Babylonici in nomen aut cognomentum sibi assumpserunt, tanquam reliquis magnificentius & veluti preditum diuinitate quadam, cùm & maximo Deo proprium, & communiter*

** antea tamen à Daniele depretiatum, vt patet à subiectâ historiâ ex Biblijs.*
Arrianus.

vtriusq;

utriusque sexus diuis cunctis, ut & BELTI, tribueretur. Móxque reliquorum populorum principes, ad imitationem Babyloniorum, qui monarchiâ potiebantur, idem nomen sibi asciuere: ut consanguineus Didonis apud Phoenices; de quo Virgil. Æ. 1. canit:

Hic regina grauem gemmis, auróque poposcit,
Impleuitq; mero pateră: quam Belus, & omnes
A Belo soliti.

Ita etiam duces Poenorũ (qui BEL, BAAL & BAL per contractionem dicebant patrio sermone) idem nomen in cognomentum sibi assumsere, ut HANNI-BAL, HASDRV-BAL. Etenim ille apud principes Babylonicos mos vigebat, ut aut Dei alicuius nomen sibi assumerent, aut plurium diuorum, heroûmque & fortitudine excellentium virorum nomina aliquot combinata. Egregia autem inter simplicia Chaldaeorum nomina hæc erant:

1 NEBO, LEBO.
2. NEGO.
3. MERO.
4 SCHESCHACH.
5 SCHADRACH.
6 MESCHACH.
7 LETZAR, RETZAR, NETZAR.
8 SCHETZAR.
9. MELTZAR.
10 NERGAL.
11. BELTI.
12. ADAN.

13 HEWIL.
14. OCHRI.
15. CHEN.
16. BEL.
27. SCHESCH.
18. PHIL.
19. NIT.
20. DACH,
12. ZAR.
22. PAL.
23. PAD.
24. CHAD.

Ex hisce nominibus Babylonici principes qui reliquis præfulgere volebant, vnum Dei nomen assumebant: vt, *BEL, BELTI, NEBO, *MERO, SCHESCHACH. *Aut duo, tria, quatuorvè componebant, qui, velut Luna inter minora sidera, inter reliquos principes dignitate micabant: vt,* NABO-NASSAR. *ex 1. & 7.* BELITI-SCHATZAR. *ex 11. & 8. (denotat Beli abdita thesaurisantem; quod nomen Danieli à Babyloniis inditum ob diuinam suam in diuinando peritiam)* NABO-NIT. *ex 1. & 19.* NABO-PVL-LETZAR. *ex 1. 18. 7.* NEBV-CAD-NETZAR. *ex 1. 24. 7.* NABO-ZAR-ADAN. *ex 1. 21. 12.* MERO-DACH-EN-PAD. *ex 3. 20. 15. 23. In quibus notandũ, nominibus Imperaotrũ Babyloniorũ* NEBO *vt plurimũ consueuisse præponi, vt* BAL *Pœnorum postponi*; & vt apud

* Deorum erant nomina. teste Esai. cap. 46.
* Dei erat nomẽ teste Ierem. cap. 25.
Daniel. cap. 4. 5.

Persas

Persas quæcumque nomina vel corporibus, vel magnificentiæ sunt similia, omnia eadem litterâ terminari solent, quam Dores San appellant, Iones Sigma: *vt*, *Ardes, Smerdes, Xerxes. Contingebant autem has nominis præpositio apud Babylonios cùm ad imperij gubernacula admouerentur, noménque proprium, vt hoc auo Pontifices, exuerent. vt Bel-adan ad imperium veniens* NABONASSAR *appellatus fuit. Vt autem ex illis simplicibus nominibus Babylonij appellationes magnificas conflabant, ita etiam & Assyrij, ex hisce:* Herodot. lib. 1.

1 SCHADRAN.
2 SCHALMAN.,
3 TEGLATH.
4 HERIB.
5 HADDON.
6 NESCHROCH.
7 ADAR.
8 ETZER, *vel* ATZER.
9 ASAR.
10 BALLAT.
11 OSEN, *vel* OSN.
12 CHYSCHAN.
13 SEN.
14 PHVL.
15 PHAR.
16 SCHAR.

Sunt hæc præcipua Assyriorum nomina simplicia, ex quibus gemino cum Chaldæis modo no-

mina sibi conflabant, vt, SALMAN-ASSER. *ex 2. & 9.* ASAR-HADDON. *ex 9. 5.* TEGLAT-PHVL-ETZER.: *ex 3. 14. 8. Porrò hic Bel* primus fuit apud Babylonios inuentor sideralis scientiæ, *quam posteà impurâ Magiâ conspurcauit, vt & filia sua Semiramis: quæ Zoroastro Bactrianorum regi bellum intulit, non tam vt regni æmulum tolleret, quàm v scientiâ superiorem deprimeret. Magiæ autem peritum fuisse Bel, ludibrium sui sepulchri indicauit: eo námque reserato, Xerxes Darij filius vitream vrnam repperit, in eâq; cadauer oleo innatans; quæ vrna plena tamen non erat, vacuúmque à summis labris palmæ ferè spatium habebat. Vrnaeq; columna exigua adiacebat, cui inscriptum, eum qui sepulchrum aperuisset vrnamque non repleuisset, pessimè mulctatum iri; quibus lectis, Xerxes obstupuit,*

Plinius lib. 6. cap. 20.

Aelian lib. 13. Var. hist. cap. 3.

——————retróque pedem tulit: oraque buxo
Pallidiora gerens, exhorruit æquoris instar;
Quod fremit exiguâ cùm summum stringitur aura.

Ouid. Metam. 4.

Sed postquam remoratus palantes sensus sub rationis vexillum retraxit, è vestigio oleum infundi imperauit, verùm iussa ita implere haud potuit; quare & iterum infundi præcepit, sed & ne sic quidem replere potuit: donec tandem, sæpius conamine irrito iterato, desisteret, clausoq; monumento summo cum mœrore recederet. Et certum, nec inanem euentum

columnæ prædictio sortita est. Nam Xerxes, exercitu suo quinquaginta myriadum à Græcis deleto, cùm trepidus in regnum se reciperet, ignobili morte vitam finiuit, noctu in lecto à filio trucidatus. Ad huius paterni monumenti similitudinem, Semiramis sepulchrum sibi fecit supra celeberrimas vrbis portas, in edito atque conspicuo loco, cum hac inscriptione: SI CVI REGVM BABYLONIS POST ME FVTVRORVM FVERIT PECVNIÆ PENVRIA, APERTO SEPVLCHRO SVMITO QVANTVMCVMQVE LIBVERIT PECVNIÆ. NE TAMEN NISI INDIGVERIT, ALIOQVIN APERITO NON ENIM ERE EIVS FVERIT. Permansit hoc sepulchrum immotum, donec ad Darium regnum deuolutum est. Qui indignum ratus se neque iis portis vti, (ideo autem non vtebatur, quod sibi transeunti cadauer culminaret; nec sumere pecunias repositas, & eas quidem se irritantes reserauit monumentumtum, próque thesauris inane sepulchrum repperit: & intentè omnibus sepulchri partibus lustratis, in saxo ad latus sepulchri hæc verba incisa offendit, NISI PECVNIA ESSES INEXPLEBILIS, ET TVRPIS LVCRI CVPIDVS, DEFVNCTORVM SEPVLCHRA NON APERVISSES. Diligentius autem perscrutato sepulshro, in obscuro angulo exiguam

Herodot. lib. 1.

Herodot. lib. 1.

arculam repperit, quâ apertâ execranda veneni violentia prosiliit, quæ tertiam hominum partem suâ truculentiâ sustulit. De simili arca, Rodericus Toletanus scribit, quæ aperta fuit à Roderico rege, paulo ante quàm Arabes ex Africa, instigante comite Iuliano, in Hispaniam irruerent, & profligato Roderici exercitu, ipsóque occiso, eam subiugarent. Inquit enim: erat tunc Toleti palatium, à multorum regum temporibus perpetim clausum, pluribusque seris obseratum; id Rodericus contra omnium voluntatem aperuit, vt quid in eo lateret cognosceret; thesauros autem quos fictiebat, sperabat. Verùm præter arcam vnam nihil inuenit, quâ apertâ, pannum literis latinis hæc verba referentem, deprehendit: CVM CONTINGET SERAS FRANGI, PALATIVM ATQVE ARCAM APERIRI, ET QVÆ IN EA SVNT VIDERI: TVNC SCITO GENTES *EIVSMODI HISPANIAS INVASVRAS, SVOQVE DOMINIO SVBMISSVRAS. *Quibus lectis, rex doluit palatium arcámque se aperuisse, & gemino quo ante clausum erat modo, concludi imperauit. Erant autem in panno delineati Arabes capita vittis tegentes, vestibus versicolori bus amicti, gladios & iacula vibrantes, vexilláque in altum extensa gerentes. Hisce similis illa quæ à Cedreno historia hoc ferè modo describitur: Anno* IↃCCLXXIX, *regnante Con-*

Rerum Hispaniarum lib. 3. cap. 17.

*qualés scilicet in panno delineata sūt.

te Constantino & Irenâ, quidam apud longos Thraciæ muros fodiens, in cistam incidit, quâ apertâ ac purgatâ, virum procerum in ea recumbentem offendit, laterique cistæ incisas litteras hanc sententiam exprimentes, CHRISTVS E VIRGINE NASCETVR, INQVE EVM EGO CREDO, CONSTANTINO ET IRENA IMPERANTIBVS, SOL ME RVRSVM VIDEBIS. *& Suetonius geminam huic de Iulij Cæsaris fato historiam his verbis narrat;* Paucos ante menses cùm in colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad extruendas villas sepulchra vetustissima disiicerent, idque eò studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, sepultus iuuenta est, conscripta litteris verbisque Græcis, hac sententia; Quandoque ora Capyis detecta essent, fore vt Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur. In vita Iulij. cap. 81.

De Bel Babylonico, ex adiectionibus ad Danielem.

REX autem Astyages qum aggregatus esset maioribus suis, suscepit Cyrus Persa regnum illius.

Con-

2 Conuixit autem Daniel huic regi, &
gloriâ superauit omnes amicos eius.
3 Erat verò Idolum Babyloniis, cui no-
men Bel, in quod consumebant vnoquo-
que die similæ artabas duodecim, & oues
quadraginta, vinique metretas sex.
4 Colebat autem rex illud, & abiens vno-
quoque die adorabat illud: Daniel verò
adorabat Deum suum. quamobrem dice-
bat ei rex, Quare non adoras Belum?
5 Cui dixit ille; quia non adoro idôla ma-
nufacta, sed viuentem Deum, qui creauit
cælum & terram, & habet dominium in
omnem carnem.
6 Rege autem dicente illi, an non videtur
tibi Bel esse Deus viuens? an non vides,
quàm multa comedat vnoquoque die.
7 Dixit Daniel ridens, ne errato, ô rex:
hic enim intus quidem lutum est, æs verò
foris, neq. comedit, neque bibit vnquam.
8 Tum indignatus rex accersiuit sacerdo-
tes suos, & dixit eis, nisi dixeritis mihi quis
comedat impensam istam, moriturі estis.
9 Sin autem ostenderitis Belum comede-
re ista, morietur Daniel, eò quòd in Belum
blasphemauerit: dixitque Daniel regi, fiat
secundùm verbum tuum.
10 Erant autem sacerdotes Beli septua-
ginta, sine vxoribus & liberis) venitque
Rex cum Daniele in ædem Beli.
11 Vbi dixerunt Sacerdotes, ecce nos ex-
curri-

currimus foras, tu autem Rex appone illa edulia, & vinum miſcens propone, & occluſam portam annulo tuo obſigna.

12 Quod ſi veniens manè non inueneris omnia comeſta à Belo; moriamur nos: aut Daniel, qui mentitus eſt contra nos, *ſi in-ueneris, moriatur.*

13 Ipſi autem eò contemnebant quòd feciſſent ſub menſa occultum aditum, quo ingrediebantur ſemper, & tollebant ea.

14 Fuit autem cùm egreſſis illis Rex appoſuiſſet edulia Belo, vt præciperet Daniel pueris ſuis; qui afferentes cinerem conſtrauerunt eo totam ædem coram Rege: poſtea egreſſi clauſerunt portas, & obſignarunt annulo regis, abiueruntque.

15 Sacerdotes verò ingreſſi nocte pro more ſuo, & vxores, liberique eorum comederunt omnia, atque abierunt.

16 Quum itaque ſurrexiſſet Rex manè, & Daniel adeſſet ei.

17 Dixit Rex, integra ſunt ſigilla, Daniel? qui dixit, integra ſunt, ô rex.

18 Sed fuit, ſimul ac aperuiſſet portas, vt reſpiciens Rex ad menſam clamaret voce magnâ; Magnus es, ô Bel, néque eſt apud te dolus vel vnicus.

19 Ridens verò Daniel detinuit regem ne ingrederetur intrò, & dixit, aſpice ſolum, & agnoſce cuius hæc veſtigia ſint.

20 Tum Rex, video inquit; veſtigia virorum,

rorum, mulierumque & puerorum.

21 Et iratus Rex comprehendit tum sacerdotes, vxoresque & liberos eorum, qui demonstrarunt ipsi occulta ostiola, quibus ingrediebantur, vt consumerent quæ imponebantur mensæ.

22 Quamobrem interficiens eos rex, donauit Belum Danieli dono, qui euertit eum cum æde ipsius.

De Solis apud Assyrios & Chaldæos cultu, quem Adad, Adonimq́ue appellabant.

CAP. V.

Macrob. lib. 1. Satur. cap. 23.

ASSYRII, *Chaldeique, Astronomiæ siderúmque contemplationi dediti, inperscrutabiles cæli faces astra, & Solem (quem* ADAD *nuncupabant) principem stellarum, tamquam deorum summum egregiè venerati sunt. Vnde factum vt quelibet eorum imperio subditæ gentes eosdem cultus frequentarent aut vi adactæ, aut adulatione extimulatæ. Ita temporibus Ioschyæ Ieruschalaimis hic ritus viguit, ab eóque est extirpatus, vt diuina pagina hisce verbis inculcat.*

Lib. 2. Regū cap. 32. versiū 11.

Aboleuit quoque equos illos quos posuerant Reges Iehudæ Soli ab ingressu in domum Iehouæ ad domum Nethan-Meleci

lici aulici, quæ *erat* in ipsis suburbiis: currus autem Solis combussit igni.

12 Et altaria quæ *erant* super tectum cœnaculi Achazi, quæ fecerant Reges Iehudæ, etiam altaria quæ fecerat Menasche in duobus atriis domus Iehouæ destruxit Rex: quibus abruptis, inde, proiecit puluerem eorum in torrentem Kidronem.

Hæc altaria astrorum cultui dicata fuisse, ab illo ipso æuo prisco duo faces illustrarunt, Iirmia & Tzephania: Ille hoc radio:

Et erunt domus Ieruschalaimorum, domusque regum Iehudæ vt locus Thophethi, immundissimæ omnes domus illæ super quarum tecta adoleuerint toti exercitui cælorum, & libauerint libamina diis alienis. cap. 19. 13.

Alter hoc fulgido lumine:

Extendens enim manum meam super Iehudam, & super omnes habitatores Ieruschalaimorum; exscindam è loco hoc residuum Bahalis, & nomen atratorum cum ipsis sacerdotibus. cap. 1. 4. vers.

Et qui incuruant se super tecta exercitui 3.
cælorum; etiam qui incuruantes se iurant per Iehouā, & iurant per Melecum suum.

*Simulachrum etiam Solis Assyrij Chaldeique effinxerunt radiis inclinatis, eò innuentes vim cæli in radiis Solis esse, qui in terram demittuntur. Huic simulachro alterum iunxere, (*ATARHATIS, *id est, terræ appellantes) ra-*

diis sursum protensis conspicuum: indicantes, radiorum supernè demissorum vi quæcúmque terra progignit enasci: Solem etiam sub nomine ADONIDIS *Venerisque* ARCHITIDIS *coluere. Etenim fingebant Adonim Veneris amasium ab apro peremptum, à Proserpina retineri, Venerémque eius absentiâ ingenti mœrore affligi. Designantes per Venerem terræ superius hemisphærium, cuius nos partem incolimus, per Proserpinam autem inferius: quòd Sol annuo gressu per duodecim signorum orbem incedens, partem quoque hemisphærij inferioris ingrediatur: ibique latens, diesque breuiores efficiens, à Venere lugeatur, tamquam temporali morte peremptus, & à Proserpina retentus. Vbi autem post decursa sex signa inferioris ordinis, in alterum consuetum relabitur gyrum, nostrúmque hemisperium almis radiis perfundere incipit, Adonim Veneri restitutum dixere; quòd tunc in agilitatem, torpidâ inertiâ remotâ, alma parens Terra blandis Solis radiis soluatur, lætisque comis rursum exornetur. Ab apro autem interfectum Adonim finxere, in hoc animali hyemis imaginem exprimentes: quòd aper hispidus & asper locis humidis & lutosis, pruinâq;. opertis gaudeat, ac libenter glande, hyemali fructu, vescatur. Ab hac, inquam, similitudine, vulnus lethale Solis hyemem commenti sunt, quod illa calorem cunctáque animantem spiritum solarem haud aliter è Mundo expellat, ac mors ex animantibus*

Macrob. lib. 1. Saturnal. kap. 21.

mantibus vitalem fontem calorem natiuum exhauriat. Etiam Hieropolitani, qui Assyriæ gens, erant omnis Solis effectus atq; virtutes in vnius simulachri barbati effigie expressere, Apollinem appellantes, cultúque eximio colentes. Erat hoc simulachrum facie barbâque prolixâ Gorgoneo velamento redimitum, circúmque humeros anguibus circumfusum, calathum capiti impositum habens, thorace munitum, dextrâ erectam retinens hastam exili Victoriæ signo superstante sinistrâ florem porrigens. Aquilæ duæ ei appositæ summo conamine volatum meditari videbantur, fœminea imago eius pedibus propinqua erat, cui dextrâ leuâq; similis imagunculæ adhærebat, quæ plurimis meandris sinuoso volumine draco cingebat. Quod Naturalis scientiæ inuolucrum ita euoluimus. Barba radios solares supernè inferius demissos signabat: calathus aureus in conum fastigiatus, ætheris summum, vnde Solis creditur esse substantia, innuebat: hasta ac lorica Apollinem eundem cum Sole esse aperiebat: Victoria, Solis potentiæ cuncta fasces submittere indicabat: flos viuificantem ipsius potestatem, quia flores viridiáque gramina producit, designabat: fœmineum simulachrum terra inditum erat, quam Sol è suprema ætheris parte illustrat: huicque geminæ fœmineæ imagines adhærentes, primam materiam naturámq. exprimebant: Draco tortuosum Solis cursum demõstrabat: aquilæ altissimo suo celerri-

Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 17.

lerrimóque volatu Solis altitudinem ostendebant: Gorgonea vestis Mineruam, quæ eius præses est, Solis virtutem esse indicabat: vnde est hæc Dea dicta Iouis capite prognata, quod Solis virtus è summa parte ætheris, quem dicebant Iouem, fluat.

De Igne Chaldæorum Deo.

Cap. VI.

IGNEM Chaldæos tanquam Solis particulam coluisse firmissima historiarum testimonia confirmant. Scribit enim Ruffinus lib. 2. Histor. Ecclesiasticæ, Chaldæos sub Constantino Magno totum terrarum orbem peruagatos, vt Deum suum Ignem omnibus præstantiorem esse reipsâ conuincerent; statuásque Deorum cunctas violentiâ Ignis dissolutas. Cúmque ventum esset in Ægyptum, & certamen propositum, Ægyptios sacerdotes Nili ingentem statuam produxisse, intúsque (quippe concaua cùm esset) maximâ aquæ copiâ repleuisse, & crebram rimarum quibus perforabatur copiam subtili artificio oblitterasse, ita vt aquam quidem contineret, ignis verò violentia minimè sustinere posset. Chaldæos exsultabundos certamen iniuisse igni Nilum circundedisse: repentéq. reseratis, liquefacta cera, foraminibus, ingentem aquæ copiam profudisse, ignémque Chaldæorum Deum suffocasse, ac omnibus

omnibus ridendum propinasse. Suidas autem in voce Canopus paulo aliter hanc historiam, hoc modo tradit. Canopi sacerdos callidum iniuit consilium: fictiles hydriæ cribro crebrius creberrimis foraminibus pertusæ conficiuntur, vt per foramina turbida aqua defœcata lympidissima reddatur Harum hydriarum vnam accepit, & meatibus cera obductis, eámque variis colorum fucis delibutam, ac repletam aqua, Dei loco collocauit. Et amputatum caput veteris statuæ, (quæ ferebatur gubernatoris Menelai esse) ei examussim imposuit. Adsunt Chaldei, accenditur Ignis, cera foraminum velamentum liquescit, ac aquâ Ignis extinguitur, Canopúsque Chaldæorum Deum astutia sacerdotis vincit. Vnde, quod fictilis hydriæ opera victoriam adeptus, postea simulachrum ipsius perexilibus pedibus, collo cõtracto, ac aluo in amphoræ modum prominente, dorsóque tereti, efformatum est.

De Chaldæo Iiobo, & eius amicis, ac Bilhamo.

CAP. VII.

IN *Chaldæa, Mesopotamia, Arabíæque partibus Iudeæ Chaldéæque finitimis, plurimi ex piorum patrum posteris, à maioribus diuinam humanámque Philosophiam per manus sibi*

mus sibi traditam, ardenti studio excoluere: inter quos eminuit Iiob,

Horat. lib. 3. Carmin. Ode 2.

——— ——— cui Pudor, & Iustitiæ soror
Incorrupta Fides, nudáque Veritas,
Quando vllum inuenient parem?

Huius vitæ tempus etsi certò designari haud potest, illud tamen veritati consonum est, ob personarum, gentium, locorúmque nomina, ac ætatem quæ ei cap. 42. suæ historiæ tribuitur, ipsum non vixisse ante Israëlitarum in Ægyptum introitum, verùm dum duro seruitutis iugo ibi premerentur: Nam post ea vitali aurâ vsum non fuisse conspicuum est; quoniam nemini post latam legẽ licuit alibi quàm coram arca vel tabernaculo Dei sacrificare, sine mandato singulari; in quod præceptum Pietatis alumnus Iiob nullâ ratione peccasset: & si peccasset, sacra scriptura ipsius sacrificia haud hisce verbis commẽdasset: Deinde erat quum circumegisset dies conuiuij, vt mittens Iiob sanctificaret eos, & surgens manè offerret holocausta de numero illorum omnium; nam dicebat Iiob, fortasse peccauerint filij mei, aut maledixerint Deo apud animum suum: ita faciebat Iiob singulis diebus illis. *Inter sinceræ Philosophiæ in Arabia deserta cultores etiam fuit Eliphaz Themanites, originem trahens è posteris Themanis nepotis Hesaui ex Eliphazo; ac quoque Bildad Schuchites, è posteris Schuachi filij Abrahami ex Kethura; Tzophárque Nahamathites,*

Iiobi cap. 1. 5.

Iiobi cap. 4. 11.

Genes. 36. 11.

Iiobi 2. 11.

Genes. 25. 2.

Iiobi 2. 11.

tes, fortè à Tuimnaho ex posteris Hesaui, de quo Genes. 36. 40. per literarum metathesin: vel potius ex oppido Nahama, quod postea tribui Iehudæ sorte obuenit. Nec non Elihu filius Nachoris, Buzo oriundus. Bilham etiam in antiquæ sinceræ Philosophiæ horum cultorum numero fuit, qui ad amœnas Euprhatis vndas vitam trahebat: cuius hoc sacra scriptura testimonium posuit: Et misit nuncios ad Bilhamum filiũ Behoris Petoram* quæ est imposita ipsi flumini,* in regionem popularium eius, accersitum eum. *Degebat inquam ad Euphratis tortuosos mæandros, in supercilio montium constitutus, indicante hisce verbis diuinâ paginâ:* Protulitque sententiam suam dicens; è Syria iussit me adduci Balak Rex Moabitorum, è montibus orientalibus dicendo, veni maledic mea causa Iahakobo, veni detestare Iisraëlem. *Erat hic Bilham omnis sapientiæ excultor insignis, Theologiæq; peritissimus: vnde diuino spiritu agitatus hasce prophetias effudit:*

Iehosch. 15. 4. Iiobi 32. 2 Genes. 22. 21. Numeror. 22. 5. * *Pacoriam Ptolomæo.* * *idest Euphrati.* Genes. 23. 11.

I. De Israelitis.

En populus qui tanquam immanis leo assurget, & tanquam leo se ipsum attollet: non cubabit donec comederit prædam, & sanguinem conlossorum biberit. Numeror. 23. 28.

II. De Israelitis.

Quam sunt bona tentoria tua, ô Iahakob! Numeror. 24. vers. 5

kob! tabernacula tua, ô Iisraël! Et valles extenduntur, vt horti iuxta flumen; vt fantalos plantauit *eos* Iehoua, vt cedros iuxta aquas.

7. Fundet aquam è situlis suis, vt semen eius *sit* in aquis multis: sic assurget suprà Agagum Rex eius, & attollet se regnum eius.

8. *Deus* fortis eductor eius ex Ægypto, vt vires monocerotis *erit* ei: consumet gentes inimicas sibi, & ossa eorum detrahet, aut sagittis suis franget.

9. Incuruauit se, iacet tamquam leo; quis excitet eum? benedicentium tibi *quisque est* benedictus, & maledicentium maledictus.

III. DE MOABITIS.

Numer. 24. versu. 17. Video illud, non tamen nunc, contemplor illud, sed non propinquum: procedit stella ex Iahakobo, & exurgit sceptrum ex Iisraële, quod franget latera Moabitarum, & destruet omnes eos qui ponè sunt.

18. Et erit Edom possessio, erit inquam Sehir possessio hostibus suis; nam Iisraël faciet strenuè:

19. Dominiúmque obtinebit ex Iahakobo *natus*, qui perdet superstitem è ciuitate *quaque*.

IV. DE HAMALEKITIS.

Numeror. 24. 20. Quumque aspicerent Hamalekum, proferens

ferens sententiam suam, dixit: vt principio gentium Hamalek, ita fine suo ad pereuntem *pertinet*.

V. DE KENÆIS.

Quum verò aspiceret Kenæum, proferens sententiam suam, dixit: forte *est* habitaculum tuum, & ponere in petra nidum tuum: Numer.24 uersu 21.

22. Attamen erit quũ depascetur Kaiin; tantisper dũ Assyrius captiuum tenebit te.

23. Denique proferens sententiam suam dixit; eheu, quis viuet ex quo disposuerit hoc *Deus* fortis?

24. Sed quum naues â littore Citthæorum *soluentes* afflixerint Assyrios, & afflixerint Hebræos: tum etiam *populus* ille in perpetuum peribit.

Similia hisce vaticinia plurima indubiè piorum patrum coryphæi conscripsere; ac in suis academiis explicauere, quæ inuidum æuum altis tenebris obruit. Inter illa autem vaticinia illud eminebat, quod demonstrationem apparituræ aliquando stellæ summi herois natiuitatis indiciis comprehendebat, in quod nimirum tempus cælique partem incideret: rationémque aperiebat sanctum regem auro, thure, & myrrhá, munerandi: ac quod eius munus futurum esset luculenter enucleabat. Vndè cùm sidus (Georgius Nyssenus angelum celesti corpore indutum *fuisse quod asserit. Certè, come-* Origenes Homil. 13. in Numer. In Dialog. de Anima

tam, stellamve recenter enatam, haud fuisse, fulgidissimum eius lumen indicauit. Quòd innuens scribit Ignatius: Stella fulsit splendore superans omnes quotquot ante fuerant, lux enim illius inenarrabilis erat, & stuporem incussit omnibus adspicientibus eam rei nouitas. Omnia autem reliqua astra, vnà cum Sole & Luna, chorus fuere stellæ illius, ipsa verò claritate superabat omnes. *Vnde Prudentius;*

In epistol. 14. ad Ephesios.

Stella quæ Solis rotam
Vincit decore & lumine.)

ante tot sæcula prædictum conspexissent, natúmque heroem, per tot temporum spatia expectatum, intellexissent, ocyssimè è patria sua Saba metropoli Arabiæ, ab Ierusc halaimis sex, vel, vt alij volunt, tredecim dierum itinere remota, Beth-lechem Iihudæ contenderunt, regique sancto imperata munera obtulerunt, ipsúmque venerabundi adorarunt. Quòd innuens Pietatis alumnus Dauid, Veritatis linguâ cecinit,

Matthæus 2. 8.

Psal. 72.

——reges Arabum beati,
Thuris & dites venient Sabæi
Dona ferentes.

De Præ-

De Prædictionibus Chaldæorum, ac remedio quo curarunt Faustinam.

Cap. IIX.

CHALDÆI cùm exactissimam Astrologiæ cognitionem haberet (quippe cùm parentes à primis ætatis temporibus eius scientia liberos rigarent) in prædicendo celeberrimi fuere, imperatoribúsque ac ducibus militaribus frequenter iuncti, vt futuros casus ipsis prænunciarent. Eiusmodi fuere qui verissimè, teste euentu, Alexandro Magno ab Orientali expeditione reuenienti prædixerunt, ne vllâ ratione Babyloniæ pomeria libaret, sibi enim eius vrbis frequentationem exitialem futuram. Similes hisce illi fuere, qui, cùm Darius vaginam acinacis Persici iussisset mutari in eam quam Græci vsurpabant formam, protinus pronunciarunt imperium Persarum ad eos transiturum, in quorum armorum adulationem Rex se proiecisset. Talis etiam fuit qui Cassium admonuit, (cùm reliquias Romani exercitus à Parthis cæsi ad se confugientes seruare conaretur) vt tantisper tempus protraheret dum Luna Scorpione decurso Sagittarium attigisset: cui recalcitrans Cassius, se Sagittarium Scorpione magis exhorrescere respondit. Quo dicto immorigeróque facto, exercitum

Diodor. Sicul. Rer. antiq. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. 8.

Curtius.

Idem. lib. 3.

Diogen. Laert. lib. 2.

tum in internecionem præcipitauit. Et Aristoteles *refert* Magum quendam è Syria Athenas venisse, Socratemque pluribus in rebus reprehendisse; ac ipsi violentam mortem euenturam prædixisse. *Quin non tantum ad prædictiones, sed etiam morborum medelam adhibiti. Cùm enim Faustina Antonij Pij Imperatoris filia, Marci Philosophi vxor, incredibili amoris incendio, ex gladiatoris aspectu contracto, miserè depasceretur, viro rem omnem sine circuitione aperuit. Qui vocatis Chaldæis iis totum negotium exposuit, remediúmque quo ab amoris illecebris expediri posset petiit. Illi re adamussim examinatâ, decreuerunt vt gladiatore iugulato eius cruorem biberet, è vestigióque cum viro coiret. Quo perpetrato, ilicò amoris cassibus liberata est: verùm mox ex ipsa natus Commodus, Romanum imperium gladiatoriis pugnis, ac sæuissimis lanienis adeò attriuit, vt incommodi truculentissimique potius gladiatoris, quàm commodi Imperatoris nomen mereretur.*

Iulius Capitolin.

Chaldæorum nobiliora placita.

CAP. IX.

Diodor. Sicul. lib. 3. Rer. Antiq. cap. 8.

CHALDÆI *Mundum æternum esse aiunt, & nec principium habuisse, neque finem habiturum. Vniuersorumque ordinem atq; ornatum diuinâ quadam prouidentiâ factum asserunt.*

Cælestia

II. *Cælestia omnia non casu, aut suâ sponte, sed determinato quodam firmóque deorum nutu ac consilio esse perfecta affirmant.* Ibidem.

III. *Maximam potentiam motus quinque astrorum quæ Planetæ appellantur, & eius præsertim quæ Saturnus dicitur, esse assueuerant.* Clarissimum *sidus verò, & cuius summa sit potestas, Solem dicunt. Quasdam etiam stellas Mercurios vocant, propterea quòd cum aliis astris non quidem errantibus, sed motum ordinatum habentibus, sola proprium cursum sortitæ, futura ostendant, tanquam deorum voluntatis interpretes. Etenim tum ortu, tum occasu, ac etiam colore, sedulis obseruatoribus futura indicare testantur. Aliquando etiam ventis, interdum imbribus, tum æstu, nonnunquam Cometis, Solis & Lunæ eclipsi, terræ hiatu multis deniq. aliis signis quæ prosunt queue obsint, non solùm gentibus ac regionibus, sed & Regibus priuatisque hominibus, indicare aiunt. Quæ autem illa sidera sint, & quando id efficiant, aperit hisce verbis Plinius:* Babyloniorum placita, motus terræ, hiatusque, & cætera omnia vi siderum existimant fieri: sed illorum trium quibus flumina assignant: fieri autem meantium cum Sole, aut congruentium, & maximè circa quadrata Mundi. *Sub horum autem astrorum cursu volunt esse sidera triginta, quæ Deos consulteres appellant: ac horum mediam partem supra terram, reliqua sub ea ferri:* Ibidem. Lib. 2. cap. 27.

tum

tum quæ apud homines accidunt, tum à cælestibus aguntur spectantem. Perpetim autem decem dierum orbe reuoluto ex superioribus stellis vnam ad inferiora, & mutatâ vice aliam rursus ab inferioribus ad superiora abire: huncque astrorum in consuetum gyrum remeantium orbem, quàm diu erit ipse orbis perennaturum.

Ibidem. IV. *Deorũ præcipuos duodecim esse asserunt, eorúmque cuilibet mensem, & vnum è signis Zodiaci tribuunt, pérque ea signa Solem ac Lunam, reliquósque Planetas quinque cursum suum conficere, Solem quidem annuo, at Lunam mensis spatio proprium cursum decurrere. Quemlibet autem reliquorum planetarum motum suum perficere diuersâ tum velocitate, tum tempore.*

Ibidem. V. *Quatuor & viginti etiam astra præter ea quæ Zodiaci ambitu comprehenduntur enumerant: eorúmque duodecim versus Boream, duodecim ad Notum vergere: & illa quidem conspici, eáque assignant viuentibus; at hæc non apparere, defunctísque adesse censent, & cunctorum iudices appellant,*

Ibidem. VI. *His omnibus inferiorem Lunam propè terram ferri inquiunt, quæ breui tempore cursum absoluat, non quidem propter velocitatem motus, sed propter circuli decurrẽdi angustiam*

Ibidem. VII. *Terram scaphæ similem, & concauam esse tradunt.*

De Bar-

De Bardesane Chaldæo, & eius De Fato fragmento.

CAP. X.

BARDESANES *Chaldeus dialecticus solertissimus, cùm Valentini discipulus esset eúmque reprehenderet ac pueriles eius nugas rideret, ab ipso secessionem fecit: & aduersus Marcionem, alióśque nonnullos, dialogos scripsit (anno *Christi 175.) patriâ linguâ, ædiditque. Plures etiam alios nectare Sapientiæ stillantes dialogos dedit, inter quos & pulcherrimum de Fato dialogum, cuius hoc fragmentum ab æui dentibus inuiolatũ ad nos peruenit.* Eusebius ecclesiastic. Histor. lib. 4. cap. 30. *Idem in Chronicis.

Interlocutores

PHILIPPVS & BARDESANES Apud Eusebium de Præparat. Euangalica lib. 6. cap. 8.

PHILIPPVS. Naturâ homo nascitur, alitur, crescit, comedit, bibit, dormit, senescit, moritur, quæ omnia sibi cum cæteris animalibus communia sunt. Sed bruta quidem cùm animalia sint, coniunctione procreata, naturâ omninò feruntur. Leo carnes comedit, saluti suæ propugnat si quis iniuriam infert. Oues gramen edunt, carnes non tangunt, nec ab iniuria se defendunt. Scorpio cœnum comedit, & pestifero iniuriam non inferentes stimulo petit.

tit. Formica, naturâ duce, hyemem ſuſpicatur, idcirco ſummis laboribus futura ſibi alimenta in æſtate recondit. Apes mel operantur, & melle nutriuntur. Plura mirabilioráque poſſem enarrare, ſed hæc ſufficere arbitror ad intelligendum naturâ ferri expertia rationis animalia, & ſecundùm eam iucundè viuere. Soli autem homines cùm & naturâ ducantur, vt dictum eſt, mentem etiam & orationem, quæ à mente profertur, tanquam præcipuum quoddam donum poſſident, quo non natura feruntur. Non enim vnus cibus omnibus eſt, ſed alij ſicut leones nutriuntur, alij ſicut oues. Non eſt vnus vniuerſis veſtitus, non mos, non lex, non vnus viuendi modus, non ſimplex rerum cupiditas, ſinguli enim homines propriâ voluntate vitam ſibi eligunt, nec vicinos, niſi quantum volunt imitantur. Libertas enim hominis ſeruituti ſubiecta non eſt. Nam etiamſi ſponte ſeruiat, libertatis id ſuæ quoque eſt, vt poſſit cum vult ſeruire. Multi hominum, ac maximè Alaneorum gentis, quaſi atroces beſtiæ carnibus aluntur, panem non comedunt, non quia non habent, ſed quia nolunt. Nonnulli carnes omninò faſtidiunt, alij piſces ſolummodo edunt; nonnulli etiamſi fame morerentur, piſces haud comederent, alij aquam, alij vinum, alij ceruiſiam bibunt. Adeò multiplex atque diuerſa cibi & potus

tus

tus in hominibus eſt differentia, vt in oleribus quóque comedendis conuenire non videantur. Sunt etiam qui veluti ſcorpiones aut aſpides non læſi iniuriam inferunt: & qui ſponté quidem iniuriam non inferunt, ſed læſi propulſant iniuriam: nonnulli tamquam lupi rapiunt, & ſicut catæ furantur, alij tanquam oues omnia ferunt, vt etiam iniuriâ vexati perpetiantur. Vnde alios iuſtos, alios iniuſtos appellamus. His rebus apertum eſt, non naturâ in omnibus hominem ferri, vna enim in omnibus natura eſt, hæc verò diuerſa; ſed in quibuſdam naturâ, in quibuſdam voluntate. Quare in his laudem vel vituperationem meretur, in illis autem iure inculpabilis eſt. *****. Apud Seres lex eſt, nec occidere, nec fornicari, nec furari, nec adorare ſimulachra: vnde in illa regione nullum templum conſpicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida: nec voluntatem alicuius illorum, ardentiſſima ſtella Martis in medio cæli conſtituta ad cædem hominis cogit: nec Venus Marti coniuncta, vt alienam quiſpiam ſollicitaret vxorem potuit efficere. Atqui ſingulis etiam apud eos diebus, in medium cæli Martē peruenire neceſſe eſt, & in tanta regione ſingulis horis naſci homines non negandum. Apud Indos autem & Bactros multa millia hominum ſunt,

qui Brachmanni appellantur: hi, tam traditione patrum, quàm legibus, nec simulachra colunt, nec animantium aliquid comedũt, vinum aut ceruisiam nunquam bibunt; ab omni demum malignitate absunt, soli Deo seruientes. At cæteri omnes Indi, in eadem illa regione adulteriis, cæde, temulentiâ, simulachrorum cultu inuoluuntur: inueniunturque ibi nonnulli, imò verò populus quidam Indorũ est in eodem climate habitans, qui homines venãtes atq. sacrificantes deuorant, nec vlli planetarum; quos fœlices ac bonos appellant, à cæde ac sceleribus istos prohibent, nec maligni Brachmannos pellere ad malefaciendum potuerunt. Apud Persas lex* erat, filias, sorores, matres quoque ipsas in matrimonium ducere: nec in Perside solum, verùm etiam quicumque Persarum ad alia climata orbis è patria exiuerunt, nefanda hæc diligenter matrimonia celebrarunt; quos aliæ gentes, hoc scelus abominatæ Magussæos appellant? Suntque vsque ad hodiernum diem in media Ægypto, Phrygia, Gallatiaque plurimi Magussæi, successione patrum eisdem sceleribus contaminati, Nec dicere possumus in terminis, & domo Saturni, cum Saturno ipso in natiuitatibus omnium, Marte aspiciente, Venerem fuisse. Apud Getulos lex est, à mulieribus vt agri colantur, ædes ædificentur, huiusce-

* ex Zeroastri siue Saradis abominando instituto.

cemodiq́ue cætera opera vt fiant; adhæc vt quibuſcumque velint congrediantur: nec à maritis accuſantur, nec adulteræ appellantur, cum promiſcuè omnibus miſceantur, ac præcipuè aduenis. Aſpernantur quoque apud eos fœminæ vniuerſos odores, nec tinctis veſtibus induuntur, & nudis omnes pedibus degunt; cùm viri apud eos contra & veſtibus & odoribus & coloribus variis gaudeant: nec id mollicie faciunt, fortes enim & bellicoſiſſimi præter cæteras gentes ſunt; nec omnes apud eos natæ fœminæ, in Capricorno, aut Aquario, malè affectam venerem habuerunt; nec viri omnes, in Ariete vna cum Marte conſtituta Venere, nati ſunt, quod fortes ſimul & delicatos efficere viros Chaldæorum nugæ clamant. Mulieres in Bactris præſtanti ornatu atque vnguentis vtuntur, & ab ancillis & ſeruis multò magis quàm ſui mariti cultæ, ſingulari quadam pompâ equitantes, exeunt, auro atque gemmis æquorum phaleris ornatis: nec caſtè viuunt, ſed tam ſeruis, quàm aduenis permiſcentur; nec à viris accuſantur, quippe cùm iis dominari videantur. Nec Bactrianorum omniū natiuitas, Venerē cùm Ioue ac Marte in medio cæli, & terminis Veneris habuit. Apud Arabes adulteræ omnes interimūtur, & ſuſpectæ ſolūmodo puniuntur. In Parthia verò atque Arme-

nia interdum à iudicibus, interdum occisi à consanguineis, homicidæ necantur: at qui vxorem, aut filium, aut filiam, aut cælibem fratrem, aut innuptam sororem interfecerit, ne accusatur quidem, lege namque ita sancitum est; cùm apud Græcos & Romanos videamus maiori supplicio parricidia expiari. In Atriis, qui aliquid vel minimum furatus est, lapidibus obruitur. In Bactris qui pauca furatur, sputis dedecoratur: Romanorum legibus vulneribus cæditur. Ab Euphrate fluuio vsque ad Orientalem Oceanum, cui cædes vel furtum obiicitur, non magno mærore torquetur. Qui verò pudorem masculo eripuit, si res in lucem venerit, magnitudine ignominiæ seipsum interficere cogitur. Græcorum etiam sapientes, speciosas ambire pueros non erubescunt. In eadem Orientis plagâ, parentes atque cognati, si cognouerint filios aut agnatos turpitudini se subiecisse, & interficiunt, & sepulturæ tradere non dignantur. Apud Gallos autem pueri publicè nubunt, nulloque dedecore propter legem notantur. Nec est profecto possibilè, omnes qui apud Gallos produnt florem ætatis, Venerem & Mercurium in domo Saturni & Martis termino occidentes habere. Multi viri apud Britannos vnam vxorem habent: apud Parthos contra multæ fœminæ vnum mari-

tum

tum; castéque omnes viuunt, legibus obtemperantes. Amazones viros non habent, sed tempore veris fines suos egredientes cum vicinis coëunt: vnde omnes naturali lege eodem tempore pariunt, masculisque interfectis solas fœminas alunt, bellicosæque omnes similiter sunt, magnam exercitationis bellicæ curam gerentes. Mercurius in domo suâ cū Venere à Chaldæis efficere dicitur homines numularios, & qui fingere atque pingere sciunt. In domo verò Veneris vnguentarios, vocem exercentes, histriones, actorésque fabularum. At apud Saracenos & Mauros in superiore quóque Lybia, & exteriore Carmania, & apud Sarmatas, & Scythas, cæterásque gentes quæ septentrionales partes Ponti inhabitant; in Alania quoque atque in Albania, Othene, Saunia, atque Aurea, nullus numularius, nullus pictor, non architectus, non geometra, nemo exercens vocem, nemo fabularum actor inuenitur, sed inanis omninò in tot tantísque orbis terrarum partibus, Mercurij atque Veneris coniunctio inuenitur. Omnes Medi canes non paruâ alunt curâ, quibus morientes homines etiamnum spirantes obiiciunt: neque omnes in natiuitate diurna Lunam cum Marte sub terra in Cancro habuerunt. Indi mortuos cremant, quibuscum sponte vxores concremantur; nec omnes quæ

ſponte rogum mariti aſcendunt mulieres, in natiuitate nocturna Solem cum Marte in termino Martis & in Leone habuerunt. Plurimi Germanorum laqueo gulam frangunt; nec eſt poſſibile omnes qui ita ſe ſuſpenderunt, interceptam à Saturno atque Marte Lunam habuiſſe. Quid plura? ſingulis horis apud omnes gentes homines naſcuntur. Vbique autem leges atque mores propter liberã hominis poteſtatem præualuere videmus: nec natiuitas aliqua nolentes Seras ad homicidium compellit, aut Brachmanos ad eſum carnium, nec Perſæ à ſceleratis nuptiis remouentur, nec Indi à rogo, nec Medi à canibus, nec Parthi ne multas ducant vxores, nec à caſtitate Meſopotamienſes fœminæ, nec Græci à gymnaſiis, in quibus nudi exercẽtur, nec Romani ab imperando, nec Galline muliebria patiantur, nec gentes omnes quas Barbaras appellamus, Muſarum cognitionem approbandam ducũt. Singulæ namq. gentes vt volunt, & quando volũt libertate ſuâ vtũtur, legibus moribuſq. obedientes:. Naturam quoq. ipſam, quæ corpus homini tribuit, ſequentes, interdum ſponte, ſæpius etiam coactæ: ſunt. ibique diuites & pauperes, principes & ſubditi, ſani & ægroti, nemoq. ipſorum neceſſaria natiuitatis ſorte hæc conſequutus eſt. Hæc ô Bardeſane quamuis ſatis nos moueant, aſtrologi tamen

men terrarum orbem in ſeptem climata partiuntur; & alius in alio climate planeta dominari dicitur; diuerſæque leges hominum à principibus ſunt poſitæ, quos non aliena à legibus quas tulerunt loca ſtellarum habuiſſe, non eſt impoſſibile. BARDESANES. Non eſt, ô Philippe, vera inquam hæc ratio. Nam, etſi terrarum orbis ſeptem partibus diuidatur, in ſingulis tamen partibus multas, nec 7. ſolummodo. 7. planetarum inſtar, nec 12. ad 12. ſignorum numerum, nec facierum numero 36. ſed innumerabiles legum differentias inueniemus. Repetere igitur debetis vobiſcum crebrò quæ dix . In vno enim Indorum climate atque regione, ſunt qui à carnibus omnino abſtinent, & qui vel humanas carnes deuorent. Et Maguſſæi non in Perſide ſolùm, ſed vbicumque habitent, filiabus matrimonij iure iunguntur. multæq́. barbaræ gētes, aliæ meridiem, aliæ ortum, aliæ occaſum aliæ ſeptētrionales partes, diuerſas & regiones & climata inhabitantes, nullius Mercurialis ſciētiæ participes ſunt. Quot ſapiētes putatis malas leges ſanxiſſe? quot leges neceſſitate ſolutas? quot victores leges victis dediſſe? nec tamen ſtellarum aliqua proprium clima mutauit. Noſtro æuo in Arabiam Romani vincentes irruerunt, & barbarorum expulſis legibus. ſuas ſeruari iuſſerūt. Sed exponam vo-

bis, quod omnes facilè ad hanc veritatem adducere potest. Omnes Iudæi Mosaicâ lege octauo die pueros circumcidunt, nec alicuius stellæ vi coguntur, nec regionis tempestate impellũtur, nec alienis moribus vt aliter faciant inducũtur. Nam siue apud Syros, siue apud Galatas, siue in Italia, siue in Græcia, siue in Parthia, vbicumque sint, legem suam seruant, quod necessitate natiuitatis fieri nullo pacto potest: non enim possibile est, eandem habere natiuitatem omnes Iudæos. Prætereà, vna semper septem dierum, vbicumque fuerint, ab omni opere cessant, nec iter agunt, nec igne vtuntur; nec genethliaca aliqua ratio coërcet Iudæum quin ædificet, domum diruat, vendat aut emat illo die; at multi eorum eo die nascuntur, multi ægrotant, multi sanantur, multi etiam illo die moriuntur, hæc enim liberi arbitrij non sunt. In Syria, & Osroene, sicut etiam in Gallia & Phrygia, Matri Deorum multi virilibus mutilabantur; donec tandem Rex Abgarus omnium quoq. manus qui id perpetrabant abscindi iussit; nec quisquam posteà in Osroene sibi virilia amputauit. Quid autem dicemus de Christianorũ secta, qui in omni parte orbis, imò verò in omni ciuitate inueniuntur? nec multas Parthi Christiani ducunt vxores, nec canibus mortuos obiiciunt Medi, nec Persæ filias ducunt, nec

Bactriani

Bactriani & Galli matrimonia corrumpunt; nec Ægyptij Apin, aut canem, aut hircum, aut felem colunt, sed vbicumque sunt alienis moribus & legibus vt viuant cogi non possunt: nec genetliaca ratione aut sua, aut principis alicuius impelluntur vnquam, vt quæ nefanda magister eorum duxit, facienda putent; sed paupertatem, laborem, ignominiam, cruciatus intollerabiles perferunt. Nam quemadmodum libertas nostra cogi non potest, sic corpus nostrum non facilè potest pericula effugere & certè si omnia potestatis essent nostræ, vniuersa nos moderaremur; sin verò nihil possemus, aliorum instrumenta duntaxat essemus, nostrâ voluntate nihil produceremus. Deo autem volenti nihil obstare potest; namq́ue illius potestati cuncta subiiciuntur, qui singulis eximium quid largitus est. Illudq́ue homini egregium dedit, vt libertate voluntatis atque iudicij vtatur.

De Phœnicum fabulosa Theologia.

CAP. XI.

PHOENICVM *Theologiam ex Sachoniathonis sentẽtia (qui Semiramidis temporibus vixit, ac Phœnicum historiam par-*

Porphyrius in quarto contra Christianos libro:

tim ex annalibus singularum vrbium, partim
ex libris qui in templis custodiri consueuerant,
sollerti collegit ingenio, ac Belbalo Berytiorum,
Phœniciæ gentis, clarissimo regi dedicauit) Philo,
Byblo celeberrima Phœniciæ ciuitate oriundus,
ferè hoc modo describit: Phœnicum Theologia
principium rerum omnium tenebrosum
ac spiritalem aërem esse asserit, seu aëris tenebrosi
spiritum; præterea Chaos turbidum, omni
luce destitutum. Hæc infinita atq; indeterminata
esse: cùm autem spiritus sua principia
cupiuit, quod tunc coniunctio facta sit dicit,
atque connexus, qui Cupido appellatur, ac
creationis rerum omnium principium est. Spiritus
creationem ignorat, sed ex eius coniunctione
factum est MOTH*, ex quo omnium
creaturarum sementis ac generatio prodiit; ac
imprimis animalia sensu* carentia; ex quibus
factæ sunt animalia intellectu prædita, quæ
nuncupantur *THOPHASVNIN, in
oui figuram formata. è Moth autem effulsit
Sol, Lunâ, stellæ, ac ingentia sidera. Ex aëre &
mari, venti igneum splendorem emittentes, vnà
cum terra, nubes, & maximæ è cælo effusiones,
contigerunt. Segregatis itaque cunctis, & ex
suo loco Solis calore depulsis, cùm rursus in
aëre concurrerent, conflictu suo tonitrua fulmináque
effecerunt: quorum sonitu animalia
ex limo, quasi ex alto sopore, prosilierunt, erupérúntque
tam ex terra, quàm ex mari, mas
& fœmina. Hæcq; in libris Taauti de Mundi
origi-

* id est aquosæ mixturæ putredo.

* id est plantæ.

* id est cœli spectatores.

origine conſcripta deprehenduntur. Et hic mas & fœmina, à poſterioribus hominibus pro Diis adorati fuerunt, ac fumigationibus culti. Ex vento autem Colpia, & muliere BAV, quod noctem ſignat, natum fuit Seculum ac Primogenitus, viri mortales: quorum Seculum primus ex arboribus hominibus alimenta conducentia repperit. His autem prognati Genus & Generatio Phœniciam incoluere, immaníque æſtu ſæuiente palmas ad Solem, quem nuncupabant *BEELSANEN, efferentes ipſius numinis iram deprecati ſunt. Deinde à Genere Seculi & Primogeniti filio mortales filij procreati ſunt, Lux, Flamma, Ignis. Quorum Ignis ex lignorum colliſione ignem repperit, eiúſque vſum mortales docuit. Ex hiſce autem tribus vaſtæ ſtaturæ filij ſunt geniti, quorum nomina montibus quos inhabitarunt impoſita, Caſſio, nimirum, Libano, atq; Impudico: commiſcebantúrque hi promiſcuè cunctis occurrentibus. Ex cannis, foliis, atq; papyro, primi hi tuguria confecerunt. Seditiosè quoque contra fratrem Vſonem ſe geſſerunt, qui primus brutorum exuuias hominum induuias fecit: cúmque ingenti tempeſtate ſæuiente, ventiſque flantibus, ac fulminibus corruſcantibus, ſyluæ apud Tyrum conflagraſſent, ambuſtis arboribus amputatis, primus cum iis mare ingredi auſus fuit: ſimulachráque duo Igni Ventóque erexit, ea adorans, ac ferarum ſanguine perfundens. His autem omnibus, cùm obiiſ-

*id eſt cœli dominum.

ſent

sent, statuæ à subditis statutæ, ac annui honores dicati sunt. Longè autem postquam Genus natus esset ex Sæculo & Primogenito geniti sunt Venator & Piscator: quorum hic piscatorem inuenit. Ex his alij nati duo, qui ferrum eiúsque vsum excogitarunt: quorum alter, Chusor appellatus, magicis incantationibus plurimum valuit. Hi domibus porticus addiderunt, & piscatores venatorésque, qui Titanes appellantur, produxerunt; atq; Amynum & Magum, qui magalia primi construxerunt, gregésque combinarunt, procreauere. MISORA *etiam &* SELECH, *id est, homines vitæ moderatæ & iustæ, genuerunt: qui sal eiusque vsum inuenerunt. Ex horum* Misore *Taautus fuit natus, qui primus literarum elementa conscripsit; Ægyptiis* Thoor, & Thoth, *Alexandrinis* Thoot, *Græcis* Mercurius *dictus.* Selech, *Dioscyros, Gabires, Cirbantes, Samothracésque primos nauium constructores, procreauit: quorum posteri vires herbarum cantionésque ad hominum medelam inuenerunt. eadem tempestate natus est Elius, qui Altissimus fuit cognominatus, vxorémque habuit Beruth, Byblúmque inhabitauit. Genuit hic Terrenum seu Indigenam, cui Cæli cognomentum fuit. Ab hoc, ob ipsius eximiam pulchritudinem, supremum corpus Cælum nuncupatum fuit. Huic germana fuit Terra appellata, cuius solum cognomentum ob formæ similitudinem adeptum est. Hi Altissimo pa-*

suo patri dilaniato à bestiis diuinos cultus instituerunt. Cœlus patri in imperio succedens, Terram sororem in vxorem duxit, quæ ei peperit Saturnum, Bœtilum, Doganam, & Atlantam. Verùm cùm Cælus ex aliis etiam liberos procrearet, id adeo ægrè Terra tulit vt diuortere ab eo voluerit: at Cælus minimè ab ipsa abstinebat, cúmque animo suo collibitum esset eius corporis vsuram capiebat: ac æstuans indignatione liberos ex ipsa susceptos neci tradere conabatur. In quas angustias Terra redacta cùm esset, ad suam liberorúmque defensionem socios ac adiutores sibi adsciuit. Interim cùm Saturnus in robur virile adoleuisset, consilio vsus Mercurij Trismegisti sui scribæ, ad matris defensionem Cælo patri bellum intulit. Cúmque Proserpinam & Mineruam filiam haberet, posterioris, Mercuriique opera hastam falsémque ferream fabricatus est, iísque milites suos, vt & magicis carminibus à Mercurio excogitatis, instruxit. Commisso igitur aduersus Cælum prælio, ipsóq. superato Saturnus regnũ suscepit. In hac pugna quædam Cœli coniũx, ab ipso vehemẽter adamata capta à Saturno Euagori in coniugẽ data est, quæ illi Demaroum peperit. His ita gestis, Saturnus ædes suas mœniis cinxit, vrbémq. primam condidit, Byblũ Phœnicibus dictam. Atlantẽ etiam fratrem suum proditionis suspectũ, Mercurij consilio profundo demersit. Post ea, haud longo temporis interuallo, interiecto, Cælus in exilio degens,

degens, filiã suam Astartẽ formæ virginitatísq. germine nitentẽ, vna cum Rhea & Disne, quasi conspirationis reas ablegatas, fraudulẽtè dolo malo ad Saturnũ, ad ipsum interficiẽdum, misit. At Saturnus multiiugis blanditiis eas alliciens, matrimonij vinculo sibi tandem eas copulauit. Quòd Cælus intelligens, in Saturnum, Fato, Pulchritudine aliísque comitibus stipatus insurgit: at eas gemino irretitas modo, in suam etiam nassam Saturnus illexit. Suscepit autem ex Astarte Saturnus plures filios, quorum natu minimus eodem puncti stitio almam Lucinam, inuidamque salutauit Proserpinam. Inter reliquos autem splenduit Amor & Cupido. Eorum etiam Dagon aratrum frumentáque inuenit: vnde & Iuppiter Aratrius dictus. Vna verò Titanidum, Selech *nupta, Æsculapium enixa est.* Ex *reliquis autem coniugibus Saturnus procreauit, Saturnum, Iouem Belum, Apollinem, Pontum, Typhonem, Neraum: Pontus genuit Neptunum, & Tzidonem, è cuius ore mellcæ verborum deliciæ manabant: hæcq; prima hymnos constrictis carminum pedibus insistere iussit. A Demaroonte Melchratus, qui & Hercules nuncupatur, procreatus est. Tunc Cælus Demaroonte socio Ponto bellum intulit; verùm à Ponto profligatus, fugâ suæ saluti consulere coactus fuit. Tricesimo autem annuo orbe mensibus exactis completo, Saturnus dispositis in vmbrosa valle ad perennem aquæ venam insidiis,*

diis Cælum patrem comprehendit, eíque ferro virilia membra detersit, ex quo vulnere spumans prorumpens sanguis in fontem decidit. Regnum autem gubernabant iussu Saturni, Astarte, Iuppiter, Demaroon, Adolúsque deorum princeps. Astarte autem capiti suo in regale insigne, tauri caput imposuit. At Saturno quatuor oculos apposuit diadematis loco; in frente quidem binos, & postica capitis parte item geminos, qui alternatim cõtracti apertiq. alternas sibi operandi quiescendique vices mutuiter efficiebant. Alias eiusdem humeris quoque affixit, extensas ac inuiolatum procliues quidem duas, item duas complicatas ac contractas. His innuebatur ipsum dormientem videre, vigilantémque somno indulgere; ac quod otioso similis maxima negotia conficeret, & in obeundis maximis muneribus moli quod foueretur quiete. Reliquis etiam Diis Astarte geminas in humeris alas fecit; indicantes eos cum Saturno volare, ac maximæ molis negotia conficere. Saturni præterea capiti binas alas imposuit, mentis sensúsque principatum ibi delitescere innuentes. Porrò cum Saturnus austrinas regiones perlustraret, Taautum Deum, Ægypti regem fecit, ipsiq; vniuersam regionem dono dedit. Omnia autem hæc à septem filiis Sedech, Cabiis appellatis, & eorum fratre Æsculapio, iussu Taauti literarum perennitati commissa fuere. Hæc postea Thaionis filius, apud Phœnices deorum sacerdos, allegoricè ad

ricè ad

ricè ad naturales res accommodauit, posterísque tradidit quasi orgya quædam & mysteria. Taautus autem, Ægyptiis Thoth dictus, sapientia Phœnicum excellens, primus relligionem deorum à triuio in deuios ac torpidis ingeniis inaccessos calles deduxit. Longè autem post Deus Surmobulus & Thyrro, quæ & Chysatris dicta, repostam hanc Taauti Theologiam in meliorem lucem protraxerunt. Erat autem tunc in more positum vt grauissimâ aliquâ calamitate rempublicam premente, Rex aut princeps dilectissimo filio iugulato numen sibi propitium redderet. Cúmque Saturnus, qui ad Saturni stellam euolauit post mortem, rex regionis quam Phœnices Iisraëlem appellant, ex Anobreth nympha vnicum haberet filium IVD ideo dictum, (ita etenim Phœnices vnicum filium vocant) illum regio cultu ornatum in ara immolauit, vt ita grauissimo periculosissimóque bello quo premebatur se liberaret. Iste Taautus verò draconum serpentúmque naturam diuinam putauit, & post ipsum Phœnices etiã atque Ægyptij in eam sententiam iuêre. Etenim dicebat spiritu ignique refertum esse hoc animal. Spiritus enim mobilitate, sine manuum aut pedũ adminiculo, ingenti celeritate ad quæcumque vult momento penetrare: tum etiam positis exuuiis, in iuuenile robur adolescentiámque reuerti: adeò vt vix mortem, nisi vi, subeat. Hinc Phœnices serpentem fœlicem nuncupauere dæmonem;

Ægyptij

Ægyptij ENETH *dixere, eíque accipitris caput, ob eius egregiam in actione agilitatem appinxerunt.*

De Cadmo Phœnice; Græcarúmque ac Latinarum litterarum origine, & incremento.

Cap. XII.

Cadmvs *Agenoris filius primus è Phœnicia mysteria, & solemnes deorum cultus, nec non simulachrorum consecrationes, & hymnos Græciæ intulit: & cum hymnis patrias, id est Phœnicias, voces; vocúmque perennitatem, id est per litteras conseruationem. Inter voces autem quas Græciæ intulit* ὕλη *fuit, quæ Phœniciâ linguâ aquam denotabat: vnde latinis* Vligo *&* Vlua *dicta. Et hinc cùm idem verbum Phœnicibus aquam, Græcis autem materiam signaret, haud mirùm si Græcorum sapientes aquæ naturam, cum materiæ eandem censuerint. Literas autem Græciæ 15 intulit,* Α, Β, Γ, Δ, Ε, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ. *Quibus bello Troiano Palamedes duas adiecit* Ξ *&* Φ *Posterioribus temporibus Epicharmus* Θ *&* Χ. *ac Simonides* Η *&* Ω. *Iisdem etiam gradibus Latinarum litterarum numerus excreuit: primò enim* XVI. *duntaxat Latinis litteræ fuere,* Euseb. de Præp. Euang. lib. 10. cap. 2.

quibus Salustius ludimagister Kappa adiecit: Gamma Spurius Caruilius: literam X ætas Augusti. Móxque Claudius tres addidit, nimirùm Æolicum Digamma, cuius facies Ⅎ literæ inuersæ. Quinctilianus: Nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ. ad hos vsus literam adiecerat. *Et iterum:* Æolicæ quoque literæ qua seruom, seruomque dicimus, etiamsi forma à nobis repudiata est, vis tamen manet. *Verùm ante Claudium hanc Varro repperit, si credimus Annæo Cornuto:* Hanc literam, *inquit in Orthographia,* Terentius Varro dum vult demonstrare ita præscribit. V A. *Qui ergo in hac syllaba sonus est, idem literæ erit. Hoc Digamma etiam hodiè in lapidibus Claudianis:* TERMINAⅎIT. AMPLIAⅎITQVE. *&* DIⅎI. AVGVSTI. *Secunda quæ fuerit Priscianus lib. 1. docet, inquiens:* S. & P. loco Græcæ ψ fungitur. Pro quo Claudius Cæsar Antisigma ⟩⟨ hac figura scribi voluit: sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare. *Antisigma ideò, quia obuerso dorso duo ɔc. hac enim figurâ prisci Græci sigma formabant. Duas Claudij literas protraximus, in tertia hæremus, nec auxilio est grammaticorum manus. Non illi qui* A I. *diphthongum fuisse censet, quia Claudij æuo in lapidibus,* ANTONIAI DIⅎAI. *& similia scripta. Constat enim antiquitus creberrimè vsurpatam hanc diphthongum. Non etiam ille qui literam*

teram nescio quam inuentam à Claudio leniendo R. putat ex corruptis Velij Longi verbis; in quibus prioribus de Diagamma Æolico saltem egisse Velium scio. Sed nec Martianus Capella qui sic scribit, Huic literæ S. Diuus Claudius P. adiecit, aut C. propter ψ & ξ. Græcas. Psalterium, saxa. *Censet enim ille à Claudio nouum X. repertum: quòd vanum puto quia X in vsu etiam tēporibus Augusti, vt disertè monet Isidorus. sed & X. inter eas à Varrone & Quinctiliano censetur, quæ non necessariæ. Varro in fragmento quopiam, ex libro de Grammatica:* Literæ partim sunt & dicuntur, vt A. B. partim dicuntur & non sunt, vt H. & X. partim sunt neque dicuntur, vt φ. ψ. *Ex quibus verbis non absurdè collegeris, duabus hisce literis, quæ necessariæ, Varrone teste, nouam formam induisse Claudium, noménque. & de ψ. quidem clarum, cui Antesigma respondet: de φ. Claudiano neglexerunt tradere grammatici. Et ego non diuino. Phi quidem litera non dubiè necessaria, & alius eius sonus quam F. vti monuit etiam Quinctilianus. Sed hac in re grammatica nugamur, & omittere licuisset, si Claudij liber extaret quem de ratione harum literarum edidit. Cæterùm cùm Cadmus è Phœnicia profectus in Græcia sedes fixisset, ibi suæ filiæ Semeles virginitati, ab ignoto vis illata est; peperítque septimo mense puerum, qui vix aurâ haustâ cùm expirasset, à Cadmo fuit inauratus,*

Euseb. de Præparat. Euangel. lib. 2. cap. 1.

tus, cultúque ac sacrificiis diuinis decoratus, Iouisque filius, ad lenimen violatæ Semeles pudicitiæ, dictus. Literas autem Græcas, non inquilinas, sed è Phœnicia allatas, eíque ex Iudæa illatas esse, disertè litteræ Iudæorum rerum imagines voces repræsentantes, quòd nec apud Phœnices apud Græcos præstãt, indicant. Apud Iudæos enim signat Aleph disciplinã; Beth, domum; Gimel, vocis plenitudinem; Daleth, libros; He, ista; Vau, in ipsa; Zain, viuit; Ceth, viuens; Teth, bonum; Ioth, principium; Caph, tamen; Lamed, disce; Sanich, auxilium; Mem, ex ipsis; Nun, sempiternum auxilium; Hain, fontem; Phe, os; Sade, iustitiam; Coph, vocationem; Res, caput; Sin, dentes; Thau, signa. Ita vt omnium hic sit sensus. Disciplina domus plenitudo librorum, in hac ipsa viuit viuens bonum principium, disce ex ipsis sempiternum auxilium, fontem atq; os iustitiæ, vocationem capitis, & dentium signa.

Eusebius De Præparat. Euang. lib. 10. cap. 2.

DE ÆGYPTIORVM, IVDÆORVMQVE PHILOSOPHIS TRACTATVS. III.

Argumenta Ægyptiorum de sua antiquitate, ac de ea cum Scythis contentio.

CAP. XIII.

ÆGYPTII *cùm omni cultu, tum animi tum corporis affluerent, cunctorum*

rum quoque hominum principem originem, ne quid fœlicitati & gloriæ deesset, variis argumentis sibi vendicare conati fuere. Asserebant enim à primordio rerum terras, quæ aut intollerabili frigore, aut nimio feruore adurebantur, homines frequentare nequiuisse, imprimis cùm artis solertia hisce malis nulla impedimenta obiecisset. Verùm Ægyptum in medio positam, soli fœcunditate, cælique clementiâ, iam inde à primis rerũ incipiis, cæteris regionibus præpolluisse. Quin etiam Nilum, fouente Sole, innumera animalium genera, è limo produxisse. Primùm enim Solis ardore densiorem euasisse terram, posteáque eius superficie vi caloris tumefactâ pluribus in locis humores quosdam esse concretos, in quibus putrida quædam tenui membranâ tecta sint excitata, quæ noctu almo humore aër, Nili humiditate perfusus, rigabat, interdiu autem vegetans Solis calor coquebat: donec tandem perfecta, & ad maturitatem redacta, in omne animantium genus formarentur. Tunc illa putrida quæ maiorem caloris particulam sortita erant, in volatilia abiisse ferebant; quæ autem sub terræ imperio continebantur, terrestria animalia euasisse; at illa quæ humore maximè dotata erant, in aquatilia abiisse. Hinc facilè colligi posse, ibidem vbi omnia animalia, etiam homines procreatos, cùm ibi tùm cæli temperie, quæ in omne animantium genus fœcunda erat, facillimè generari possent, tum etiàm optimè

Bonfinius lib. 2. Decad. 1. ex Trogo, & Diodoro Siculo. Sabellicus quoque lib. 1. Ennead. 1.

Diodor. Sicul. Rer. Antiq. lib. 1. cap. 1.

se sustentare, largâ rerum ibidem prouenientium copia. Quamobrem & patrum suorum parentes narrare consueuisse, attauis suis cibum fuisse herbas, ac caules radicésque palustres, palati iudicio approbatas: imprimis autem herbam illam quam Agrisim dicebant, ob mellitam dulcedinem omni animantium generi gratissimam. Ideò & se eius vtilitatis ac commoditatis, quam proauis suis præstiterat illa herba, memores, ipsa manibus apprehensa deos adorare. * At Scythæ cōtra multiiugis argumentis prima humani generis exordia sibi tribuebant, asserentes Deum eiúsque iussibus obtemperantem naturam, nil frustrà statuisse, nulla fecisse loca, quæ omni ex parte inertia essent. Etenim prouidam naturam animalia, animćq; expertes res, aptè in singulis locis, pro aëris cælique temperie generasse, ac pulcherrimè digessisse. Propterea siue ante concordem rerum discordiam dissociatam, vnio congeriésque rerum extiterit, siue aquæ moles terram occupauerit, seu ignea vis omnia impleuerit, Scythis prorsus principem originem deberi. Quod si enim, aiebant, ignis Dei nutu è terris cedere, vt asserunt Ægyptij, iussus est, nil sanè fidei magis congruum, quàm rigentem Septentrionem ab illo primùm liberatum fuisse; Ægyptum verò, ac cætera loca Solis radiis directè opposita tardissimè fuisse ad temperiem redacta, imprimis cùm etiamnum ignis vredine adurentur. At si aquarum inundatione

Diodor. Sicul. Rer. Antiq. lib. 2. cap. 1.

Benfin. lib. 1. Decad. 1. ex Trogo & Diodor. Sicul. & Sabellic. lib. 1. Ennead.

tellus

tellus tecta fuit, nihil celerius emersit, aquis subsidentibus, alto Septentrionis latere; cui etiamnum sensile argumentum præbent fluuij è Septentrione in Ægyptium mare manantes: vnde plurimorum regum labore, immensisq; impensis, vix Ægyptus ab incurrentium vndarum violentia defendi potuit. Hinc etiam conspicuum est, Nilum non à meridie, sed ab occasu ex Atlante monte originem trahere. Apertum igitur est aiebant Scythæ, nostram patriam primam homines produxisse, productósque aluisse. Quin & hinc, iidem aiebant, in Veritatem iniuriŋ Ægyptŋ, non duntaxat rationibus verùm & armorum vi à nobis superati sunt. Cùm etenim Ægyptŋ nobis bellum denunciassent, eorum aduentum haud morati sumus, sed è vestigio armis arreptis ipsis occurrimus, de improuisò in ipsos incurrimus, ac vicimus fugauimúsque; adeò vt nisi paludium remora nos inhibuisset, ipsam etiam Ægyptum occupassemus. Hæc de gentis vetustate digladiatio ad Psammetichum Ægypti regem vsq; perdurauit: is enim cùm incredibili desiderio teneretur huius quæstionis soluendæ, huiusmodi rem machinatus est. Infantes duos à matris vtero etiamnum calentes, pastori tradi educandos iubet. hac ratione: vt ipsos in solitariâ casâ reponeret, vocem humanam nullam ipsorum aures libare permitteret; verùm capris adductis eorum sitim sedaret, reliquaque quibus indigerent solus subministraret. Herodotus in Euterpe.

Hæc ideò volebat vt ex prima ipſorum voce hominum primos deprehenderet. Biennio autem in ſolitariâ hac vita exhauſto, pueri paſtori ianuam reſeranti occurrêre, expanſis manibus beccos *clamantes, quod exaudiens paſtor admirabundus obſtupuit, cúmque intranti perpetim idem verbum obiicerent, tandem ad regem rem detulit. Rex in conſpectum ſuum adduci pueros iuſſit, cumque idem nomen ſubinde repetere eos audiret, percontatus eſt quænam gens* BECCOS *vocabulo aliquid ſignaret? comperítque tandem Phryges hoc nomine panem denotare. Ac hoc argumento confirmatus Pſammetichus, non Ægyptiis aut Scythis, ſed Phrygibus primordia generis humani tribuit.*

Idem Ibidem.

De Ægyptiorum fabuloſa Theologia.

CAP. XIV.

Diodor. Sicul.

ASSERVNT *Ægyptij Deos mortales homines quidem fuiſſe, ſed quia vitam humanam variis beneficiis cumulaſſent immortalitatem adeptos: eorúmque nonnullos reges fuiſſe, nomináque propria habuiſſe; quoſdam reiectis ſuis nominibus, cæleſtium corporum ſibi indidiſſe. Ita principem ſuum regem Soli cognominem fuiſſe affirmant; licet nonnulli reclament, Vulcanum ignis repertorem fuiſſe aſſeuerantes, eique ſucceſſiſſe Saturnum*

qui ſorore Cybele in vxorem ducta Oſirim Iſimq́; genuit; aut vt alij volunt, Iouem & Iunonem. Hos vniuerſum orbem ſubiugaſſe, ac quinque Deos procreaſſe aiunt; quorum duos matrimonij vinculo conſociatos, Dionyſium Cererémq. parentibus in regno ſucceſſiſſe inquiunt, ac in tractu Thebaico vrbem centum portis conſpicuam, Heliopolin nuncupatam, condidiſſe. Dionyſium etiam dicunt diuis progenitoribus ſuis aurea templa erexiſſe, ſacerdotéſque ac cultus diuinos inſtituiſſe. Ab hoc etiam varias vitæ rationes, honorúmque gradus inuentos affirmant, vt nimirum alij virtutibus fulgentes reliquis prælucerent, alij in ignobili operum volutabro ſe voluentes cæteros venerarentur ac colerent. Tam incredibili etiam hunc Muſices deſiderio flagraſſe, vt magnam perpetim ſecum muſicorum turbam traheret, nouémque virgines, Muſas dictas, hac arte celeberrimas, earúmque præſidem Apollinem, ſecum duceret. In India etiam plurimas vrbes hunc extruxiſſe aſſerunt, Phrygiámque domuiſſe, ac per Helleſponti anguſtias in Europam perueniſſe, Macedoniæq́; regem filium Macedonem conſtituiſſe. Hunc quoque Apin & Mneuin, quod primùm fœcundo terræ gremio ſemina committere docuiſſent, in deorum numerum retuliſſe, ac ſacrificiis annuiſque celebritatibus decoraſſe. Ipſius autem corpore immani crudelitate à coniuratis laniato, Cererem, ſeu Iſim, ſuam coniugem ſummo labore

dispersa membra collegisse aiunt, verùm eius virile membrum, à Typhone in Nilum proie-ctum, nulla ratione adsequi potuisse, ideóque ei parti annua sacra, Phallica dicta, instituis-se. Animalia etiam priscis temporibus duces imperatorésque suos galeis insculpta in præliis gestasse, eáque postea triumphatis hostibus vi-ctores duces in deorum numerum retulisse, tanquam aduersæ fortunæ auerruncos, ac vi-ctoriæ largitores.

De Mystica Ægyptiorum Philosophia.

Cap. XV.

Eusebius. lib. 3. De Præparat. Euangelic. cap. 2.

AEGYPTII Osirim & Isim, Solem ac Lunam designare aiebant: Iouem, per omnia meantem spiritum: Vulcanum, ignem: Cererem, terram: Oceanum, humidi-tatem, vt & Nilum, cui etiam Deorum ge-nerationem tribuebant: Mineruam autem, aë-rem. A Sole autem & Luna vniuersa Mundi compage comprehensa originem trahere affir-mabant illum enim ignem spiritúmque pro-creare; at hanc humidi, siccique genetricem es-se: vtrumque cuncta fouentem aerem produ-cere. Cúmque spiritum præsentem animalibus vitam infundere cernerent, parentem ani-mámque cunctorum, ipsum existimarunt; quòd tangens summus poëta, Iouem, sub cuius nominis

nominis inuolucro spiritum denotabant, hac formulâ compellat,

————hominum pater atque Deorum.

Aërem Iouis filiam nuncupârunt, ac ex vertice eius natam dixerunt, virginémque existimarunt; tum quod incorruptibilem ipsius naturam esse persuasum haberent, tum quod supremum mundi locum occupare assererent. Tritonam etiam vocabant: quod tribus anni tempestatibus, vere, æstate, & hyeme, commutetur. Nilum autem, Osiridis nomine innuebant; at mare, Typhonis: hincque Osirim â Typhone occisum asserebant, idest Nilum in mare erumpentem, ab eo extingui & obliterari.

Ægyptiorum Physicorum nobiliora placita.

CAP. XVI.

TRADIDERE *Ægyptij animam hominis immortalem esse, ipsámque demortuo corpore subinde in aliud atq; aliud corpus migrare. Atq; vbi orbe per omnia huius orbis corpora iuerit, tandem denuò humanum aliquod corpus subire. Húncque circuitum tribus annorum millibus perfici.* Herodot. in Euterpe.

II. *Cor eorum qui nullâ morbi violentiâ depascuntur, cotannis pondus duarum drachmarum assumere, vsq; ad quinquagesimum annum asseruere; ita vt quinquagenarij homi-* Varro.

nis

nis cor pondus centum drachmarum habeat. A quinquagesimo autem anno ad centesimum vsq; motu retrogrado cotannis duarum drachmarum pondus deponere, donec simul cum vita euanescat, affirmauere.

III. **Stellas ignem esse dixere, cuius temperata mixtione cuncta super terram nascantur.*

IV. **Asseruere Lunam cùm in terræ umbram incurrit detrimentum pati.*

*Manethus in Natural. epitom. & Hecateus lib. 1. De Philosophis Aegyptiorum. *Aristagoras.

De Ægyptiorum Hieroglyphicis.

Cap. XVII.

AEGYPTII *ingenij acumine præstantes, occultè diuinarum humanarúmque rerum naturam aperire volentes, ita vt duntaxat prudentes, ac radiis sollertiæ illustrati eam percipere possent, characteres, signáque ob arcanam quam reserabant scientiam, sacra nuncupata, excogitauere; quæ inertibus ac ignauis, nulláque ardenti cupiditate excellentissimas res cognoscendi delibutis, earum pulcherrimam scientiam obscuritatis nube cælarent. Primus Orus, seu Apollo inuolucra hæc præclarissimarum rerum euoluere, ac luculenta explicatione toti mundo conspicienda proponere ausus fuit. Cuius libros duos, ab ipso quidem patrio, idest Ægyptio, sermone conscritos, à Philippo autem Græcâ linguâ donatos, tandémque latinè loqui à Io. Mercerio edoctos: is qui*

is qui flagrat ingenti quodam antiquitatis amore legat, indéque intricatissimarum imaginum extricationes petat.

Quo modo Ægyptij duodecim Zodiaci signa deprehenderint.

Cap XIIX.

AEGYPTIORVM retrò maiores, quos constat primos omnium cœlum scrutari, & metiri ausos; postquam perpetuæ apud se serenitatis obsequio, deprehenderunt, vniuersis vel stellis, vel sideribus infixis cælo, solas cum Sole & Luna quinque stellas vagari: nec has tamen per omnes cæli partes passim, ac sine certa erroris sui lege discurrere: Et vbi obseruauere nunquam has ad Septentrionalem verticem deuiare, nunquam ad Australis poli ima demergi, sed intra vnius obliqui circi limitem omnes habere discursus: nec omnes tamen ire pariter & redire, sed alias aliis ad eundem locum peruenire temporibus: rursus ex his alias accedere, retrò agi alio, viderique interdum quasdam immobiles consistere. Postquam, inquam, hæc inter eas agi viderunt, certas sibi partes decreuerunt in ipso circo constituere, & diuisionibus annotare: vt certa essent locorum nomina, in quibus eas morari, vel de quibus Macrobius lib. 1 in Somn. Scipionis cap. 21.

exisse,

exiisse, ad quaeue rursus esse venturas, & sibi inuicem annuntiarent, & ad posteros noscenda transmitterent. Duobus igitur vasis aeneis praeparatis, quorum alteri fundus erat in modum clepsydrae foratus, illud quod erat integrum & vacuum subiecerunt, pleno aquae altero superposito, sed meatu ante munito, & ita instructi quamlibet de infixis vnam clarissimam stellam, lucidéque notabilem, orientem obseruauere. Quae stella vbi primùm caepit emergere, mox munitione subducta, permiserunt subiecto vasi aquam superioris influere: fluxitque in noctis ipsius & secuti diei finem, atque in noctis secundae initium, donec eadem stella ad Ortum rursus reuerteretur: quae vbi apparere vix caeperat, mox aquam quae influebat amouerunt. Cùm igitur obseruatae stellae itus ac reditus integram significaret caeli conuersionem, mensuram sibi caeli in aqua, de illo fluxu susceptae, quantitate posuerunt. Hac ergo in partes aequas duodecim sub fida dimensione diuisa, alia duo huius capacitatis procurata sunt vasa, vt singula tantùm singulas, de illis duodecim, partes ferrent. Totáque rursus aqua in vas suum pristinum, foramine prius clauso refusa est: & de duobus illis vasis capacitatis minoris alterum subiecerunt pleno, alterum iuxta expeditum paratúmque posuerunt. His praeparatis, nocte alia in illa iam coeli parte, per quam Solem Lunámque, & quinque vagas meare diuturnâ obseruatione didicerant,

cerant, quámque postea Zodiacum vocauerunt, ascensurum obseruauerunt sidus, cui postea nomen Arietis indiderunt. Huius incipiente ortu, statim subiecto vasi superpositæ aquæ fluxum dederunt. Quod vbi completum esset, mox, eo sublato effusoque alterum simile subiecerunt; certis signis obseruatis ac memoriter annotatis eius loci stellis quæ oriebantur cùm primùm vas esset impletum: intelligentes quod eo tempore quo totius aquæ duodecima pars fluxisset, pars cæli duodecima conscendisset. Ab illo ergò loco, quo oriri incipiente, aqua in primum vas cæpit influere, vsq; ad locum qui oriebatur, cùm idem primum vas impleretur, duodecimam partem cæli, id est vnum signum, esse dixerunt. Item secundo vase impleto, & illo mox retracto, simile effusum quod olim parauerant, iterum subdiderũt; notato similiter loco qui emergebat: quum secundum vas esset impletum, & à fine primi signi, vsq; ad locum qui ad secundæ aquæ fluxus finem oriebatur, secundum signum notatum est. Atq; ita vicissim vasa mutando, & per singulas influentis aquæ partes, singulos sibi ascendentium cœli partium limites annotando vbi consummata iam omni per duodecim partes aquæ, ad primi signi exordia peruentum esset. sine dubio diuisas, certísque sibi obseruationibus, & iudiciis, annotatas cæli partes tantæ competes machinationes habuerunt. Quòd non nocte vnâ, sed duabus effectum est; quia omne cœlum vnâ nocte non

cte non voluitur, sed per diem vertitur pars eius media, & medietas reliqua per noctem. Nec tamen cælum omne duarum sibi proximarum noctium diuisit inspectio, sed diuersorum temporum nocturna dimensio vtrumque hemisphærium paribus aquæ vicibus annotauit. Et has ipsas duodecim partes signa appellari maluerunt, certáque singulis vocabula gratia significationis adsignauerunt.

Amasis Regis Ægyptiorum, cum Æthiopum Rege de Sapientia ac eruditione certamen.

Cap. XIX.

Plutarchus in conuiuio septem sapientum.

AMASI Ægyptiorum regi certamen ac contentio fuit cum rege Æthiopum de sapientiæ & doctrinæ præstantia: itaque ei per literas imperauit, vt ederet quidnam antiquissimum sit, quid maximum, sapientissimum, pulcherrimum, communissimum, vtilissimum, nocentissimum, potentissimum, facillimum. Respondit Æthiops: quidnam sit antiquissimum percontaris? Tempus. Quid maximum? Mundus. Quid sapientissimum? Veritas. Quid pulcherrimum? Lux. Quid communissimum? Mors. Quid vtilissimum? Deus. Quid nocentissimum? Diabolus. Quid potentissimum? Fortuna. Quid facillimum? Suaue.

Suaue. Quas solutiones Amasis partim accepit, partim reiecit. At Thales nullam earum reprehensione vacare, verùm singulas multifariam claudicare, apud Plutarchum in conuiuio censet. Longè autem ad veritatis gustum gratius respondendum fuisse. Sciscitarisne quid antiquissimum? Deus; est enim ingenitus. Quid maximũ? Locus; nam orbis quidem cuncta ad hic & orbẽ complectitur. Quid pulcherrimum? Mundus, quidquid enim mundè exornatum, eius est particula. Quid sapientissimum? Tẽpus; multa enim repperit, plurima & inueniet. Quid communissimũ? Spes; quandoquidem quibus nihil aliud suppetit, iis hæc suppetit. Quid vtilissimum? Virtus, vtilem enim vsum cunctarum rerum efficit. Quid nocentissimum? vitium, eius enim cõtactus certam dat noxam. Quid fortissimum; Necessitatas; sola enim insuperabilis est. Quid facillimum? quod naturæ concordat; nam homines subinde voluptates auersantur. Æthiopum autem Rex isto modo euolutas Amasis quæstiones ei remittens, vicissim ipsi imperauit Pontum vt ebiberet: quòd si præstaret, plurimos suæ ditionis vicos & oppida auferret, suóque imperio subiiceret: sin minùs, vrbibus ad Elephantinam iacentibus sibi cederet. Hoc sophismate impeditus Amases, ac ingenti curarum æstu fluctuans, nodique extricationem nullam inueniens, tandem, à Biante instructus, respondit, imperata è vestigio se in rem traductu-

rum, si ipse prius amnes in illum influentes inhiberet.

De iudiciis & legibus Ægyptiorum.

Cap. XX.

Diodorus Siculus Lib. 2. Rer. Antiq. cap. 3.

AEYPTII ex ciuitatibus illustrioribus vt Heliopoli Memphique, sacerdotes doctrinâ & integritate conspicuos eligebant, eósque iudiciis præficiebant. Hi postquam conuenissent triginta numero, præstantissimum sui ordinis seligebant, eúmque præsidem iudicij constituebant. Hísque cunctis victus opiparus, sed lautior præsidi à rege dabatur. Præses monile aureum, imagunculâ Veritatis polydædalè gemmis baccatâ conspicuum, collo circumdatum gestabat. Iudicibus congregatis, ac signo Veritatis à præside proposito, omnibúsque legibus, quæ octo libris continebantur, in medio constitutis, mos postulabat vt accusator scriberet iniuriam ab aduersario sibi illatam, & quo modo eam intulisset, quantíque iniuriæ aut damni illati restaurationem censeret. Vicissim reo tempus dabatur ad singula rescribendi, & se purgandi quòd id aut non perpetrasset, vel defendendi quòd rectè fecisset: aut etiam iniuriam damnumve minoris æstimandi. Demùm accusatori, reóque, inuicem respondendi locus dabatur. Atq; ita vbi iudices bis discordantium

dantium negotium intellexissent, & vtriúsque causam ad legum normam exactè explorassent, præses signo Veritatis in iustiorem verso sententiam pronunciabat. Leges autem Ægyptiorum huiusmodi erant. Periuri capite mulctabantur; vtpote qui duplici detinerentur scelere, nimirùm pietatis Diis debita violatione, fideíque validissimo humanæ societatis vinculo, ruptione. Quod si quis iter faciens, hominem à latronibus iugulari offendisset, aut qualibet iniuria affici deprehendisset, néque ei cùm posset suppetias tulisset, is mortis pœnam incurrebat. Sin succurrere haud potuisset, latrones tenebatur accusare, quod si neglexisset plagorum immani aceruo puniebatur; triduóque cibo priuabatur. *Cogebantur omnes Ægyptij nomina sua descripta ad prouinciarum præsides, simúlque rationem quâ victum acquirerent, deferre. Qua in re si quis fraudem commisisset, aut inhonesto quæstu vitam sustinere deprehenderetur is protinus morte mulctabatur. Patribus qui filios occidissent non erat pœna necis indicta, sed imperatum vt tribus diebus, noctibúsque continuis cadaueri ad sisterent, publicâ custodiâ adstante, Non enim iustum arbitrabantur eos vitâ priuari qui filiis vitæ auctores fuissent; sed potius perpeti dolore facinorísque pœnitentia adfligi, vt cæteri à simili scelere auerterentur. Parc.dis pœnam exquisitam decreuerunt; articulatim enim acutissimis calamis cæsos, iubebant viuos supra

Idem Ibid.

Ibid.

*Hanc legem Amases tulit teste Hodoto.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

ſpinarum aceruum comburi. Illud demum ſcelus ſummum exiſtimantes, ei mortem inferre,
Ibid. *qui vitam attuliſſet. Iis qui ſecreta hoſtibus reuelaſſent linguam abſcindebant. Ei qui mo-*
Ibid. *netam circumdiſſet, adulterinam cudiſſet, pondus ſignáue immutaſſet, aut falſis literis inſcripſiſſet, ſeu de ſcripto demſiſſet, vel falſas ſyngraphas iudicibus obieciſſet, ambæ manus amputabantur, vt eadem corporis pars quæ peccaſſet. perpetim quoque pœnas lueret, cæteríque hac miſeria moniti à ſimili flagitio ab-*
Ibid. *ſtinerent. Ei qui mulierem liberam violaſſet, virilia exſecabantur, quoniam vno crimine tria egregia flagitia deſignaſſet, iniuriam, corruptelam, ac liberorum confuſionem.*

De Schelomone.

CAP. XXI.

Lib. Regum 1. cap. 3. verſu. 5. GIBHONE apparuit Iehoua Schelomoni per ſomnium eadem nocte: *(quæ ſcilicet ſacrificium eius mille holocauſtorum ſubſequuta eſt.)* dixitque Deus, pete, quid daturus ſum tibi?

6. Cui dixit Schelomo, tu exercuiſti erga ſeruum tuum Dauidem patrem meum benignitatem magnam; quum ambularet coram te fideliter ac iuſtè & recto corde erga te: ſeruaſtique ei benignitatem hanc maximam, quod dederis ei filium ſedentem in ſolio eius, vt eſt hodierno die.

7. Nunc

De Recabæis, eorumq́ successoribus Hosiis seu Essenis.

CAP. XXIIV.

FLORVIT *apud Iehudæos priscis temporibus, diu ante Macbæos, secta Recabæorum insigni pietate conspicua; quæ spontè natis frugibus vitam sustentabat, vrbicásque in morum corruptelam pronas Syrenes fugiebat, ruri, ac in desertis vitam trahens. Nec vnquam ab hac sententia remota fuit, nisi tandem truculentissimi Nebucad-netzar crudelissimo exercitu cunctos Iehudæ angulos latrociniis fœdante. hac enim necessitate hæc gens compulsa ad vitæ suæ tutelam, Ieruschalaimas intrauit. Quam historiam, vnicum hoc Spiritus Sancti voce prolatum testimonium, luculenter exponit:*

1. Verbum quod fuit ad Iirmeiam à Iehoua, temporibus Iehoiakimi filij Ioschiiæ Regis Iehudæ, edicendo: Iirmeiæ cap. 35. versu

2. Abi ad familiam Recabæorum; & alloquutus eos adduces eos *ad* domum Iehouæ in vnum cubiculorum; vt des bibendum eis vinum.

3. Itaque assumens Iaazaniam filium Iirmeiæ filij Chabatziniæ & fratres eius, omnesque filios eius; denique totam familiam Recabæorum,

Adduxit

4. Adduxi eos ad domum Iehouæ, in cubiculum filiorum Chananis filij Iigdaliæ viri Dei; quod *est* propè cubiculum Principum, quod *est* ſupra cubiculum Mahaſeïæ filij Schillumi; obſeruantis limen.

5. Quumque propoſuiſſem coram filiis familiæ Recabæorum ſcyphos plenos vini, & pocula dixi eis; bibite vinum:

6. Qui dixerunt, non ſumus bibituri vinum; nam Ionadab filius Recabi pater noſter interdixit nobis, dicendo, Ne bibitote vinum, vos, aut filij veſtri vnquam:

7. Et domum ne ædificatote, & ſemen ne ſeritote, vineamque ne conſeritote, neque eſto vobis: ſed in tentoriis habitetis omnibus diebus veſtris, vt viuatis diebus multis in ſuperficiæ terræ, vbi inquilini eſtis.

8. Itaque auſcultantes voci Iehonadabi filij Recabi patris noſtri in omnibus quæ præcepit nobis; vt non bibamus vinum omnibus diebus noſtris. nos, vxores noſtræ, filij noſtri, & filiæ noſtræ.

9. Vtque non ædificemus domos ad habitationem noſtram; & vinea, aut ager, aut ſementis non ſit nobis;

10. Sed habitemus in tentoriis: auſcultantes, inquam, facimus omninò pro vt præcepit nobis Ionadab pater noſter.

11. Fuit autem cùm aſcenderet Nebucad-netzar Rex Babyloniæ in terram hanc; vt di-

vt diceremus, agite, ingrediamur Ieruscha-laima metu copiarum Chaldæorum, & metu copiarum Syriæ: ita considemus Ieruschalaimis. *Perennauit autem hæc secta per immensa temporum spatia, secundùm hanc S. Dei sententiam.*

18. Familiæ verò Recabæorum dixit Iir-meïa, sic ait Iehoua exercituum Deus Iisraëlis, eò quòd auscultatis præcepto Iehonadabi patris vestri, & obseruantes omnia præcepta eius facitis omninò pro vt præcepit vobis; Iirmeiæ cap. 35. versu.

19. Idcircò sic ait Iehoua exercituum Deus Iisraëlis; non exscindetur vir Ionadabo filio Recabi, qui stet coram me omnibus temporibus.

Verùm huius sectæ dogmatibus variatis variis casibus, ipsius quóque nomen mutatum est. Cùm enim à Nebucad-netzar in Ieruschalaima compulsi essent, deincépsque perpetim bellorum incendiis Iehudæa infestaretur, perennem vrbanam vitam elegerunt, destitutíque terræ benignitate, manuum operâ victum sibi acquesiuerunt; Essenique, seu Hosij, idest Sancti, dicti fuere. Erant hi Esseni inter se mutuo amore coniunctissimi, voluptatésque ceu maleficia vitabant; continentiam autem seruabant, cupiditatésque superare id tandem palmarium ducebant. Quamobrem nuptias fastidiebant, alienos verò filios, annis moribúsque etiamnum teneros, adoptabant, suísque dogmatibus Chrysostom. Homil. 44. in Act. Ioseph. lib. 2. de bello Iudaico cap. 7.

gmatibus imbuebant. Non ideò hunc morem colentes quod coniugia humanique generis successionem, tollendam censerent; sed quia intemperantiam fœminarum declinandam putarent: medullitùs illâ opinione perfusi, nullam fœminam vni viro fidem seruare. Quin & opes, pulchram hominum pernitiem, contemnebant; tantáque inter ipsos erat rerum communio, vt vix, ac ne vix quidem, ab ipsa fide enarrata fidem haberet. Nullus inter illos diuitiis præfulgebat: quin eam irreuocabilem legem fixerant, vt qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent: Ita enim futurum præuidebant, vt nulla appareret paupertatis humilitas, sublimitásque diuitiarum: sed permixtis facultatibus, vnicum, velut inter fratres, esset patrimonium. Munditiis mundo æmulam corporis machinam exornare, oleóue inungere, vitio dabant: contra squallorem decorem putabant, tantúmque in candida veste conspici gaudebant. Rerum omnium quibus indigebant, procuratores habebant. Ciuitatem vnam non incolebant, sed modo in hãc modo in illam domicilia transferebant. Aliundè aduenientibus sectæ suæ professoribus, cuncta tanquam propria offerebant: ac ad incognitos, tanquam familiarissimos ingrediebantur. Vndè peregrè proficiscentes propter latrocinia tantũ, armabantur nihil præterea secum ferentes. In singulis autem ciuitatibus hospitum curatorem constituebant, qui eorum

Idem ibid.

vestiment-

torum, reliquorúmque necessariorum, curam gereret. Amictus cultúsque omnium puerorum sub magistri nutu degentium, par erat. Vestitum calceósue non mutabant, nisi prioribus aut perditis, aut longi temporis vsu consumtis. Emptio aut venditio inter illos nulla: indigenti quilibet quòd habebat, præbebat; referebat ab eo quod non habebat; licet cunctis integrum esset, sine permutatione, à quouis quidlibet quo indigebat petere. Præcipuum autem studium in Dei veneratione ponebant. Ante Solis ortum profanum nil loquebantur, verùm solemnes quosdam ritus celebrabant, Deúmque almum Solem mortalibus reducem vt largiretur, orabant: postea ad suas artes quilibet à curatoribus dimittebatur. Cúmque ad horam quintam sedulò fuissent operati, rursus conueniebant; linteísque præcincti velaminibus frigidâ se abluebant. Hácque lustratione factâ in illa se recipiebant penetralia, in quæ alterius sectæ assèclam introire nefas erat; ibique longè ipsis piscibus mutioribus residentibus, pistor singulis singulos panes proponebat, at coquus ex eodem pulmento vasculum. Sacerdos deinde è vestigio precatione prandium præoccupabat; nec vlli licebat cibum libare nisi prius coram diuina maiestate oratione effusâ. Eundem prandio finito ritum repetebant: Atq; ita prandium auspicantes, finientésque in S. Dei, victus largitoris, laudem effundebantur. Tunc rursum depositis mundioribus vestimentis, in

opera ad vesperam vsq; versabantur. Reuenientésque domum simili modo cœnam inibant associantibus se si qui fortè aduenissent hospitibus. Clamor nullus, nullus tumultus, vnquam tectum illud turbabat, dantibus minoribus locum loquendi grandioribus natu: altúmque illud silentium extraneos, ceu venerabile quoddam arcanum, ingenti admiratione perfundebat. Huius causa perennis sobrietas, eorum Idem Ibid. enim edendi potandique limes, erat saturitas. *Quamuis rerum aliarum nihil sine præceptoris præcepto efficerent, in iuuando tamen miserendóque sui iuris erant. Dignis enim necessitate flagitante subuenire indigentibúsque alimenta largiri, ipsis pro arbitrio licebat. Consanguineis autem, sine præceptoris assensu aliquid largiri, prohibebantur. Iracundiæ moderatores erant fortissimi, indignationis cohibitores acerrimi, fidei tutores egregij, pacis conseruatores rigidissimi. Dicta iure iurando firmius retinebant: ipsum iuramentum peius periurio oderant; nam mendacij conuictum arbitrantur, cui, nisi Deo in testem vocato, fides non adhibebatur. Maximum studium in veterum scriptis collocabant, ea maximè ex iis seligentes, quæ animæ corporíque egregiè conducebant. Hinc, morborum remedia, herbas in medelam procliues, gemmarúmque vires, summo sudore indagabant. Sectæ suæ studiosos non statim in consortium recipiebant, sed seorsim degentibus geminum cum sua viuendi ratione*

modum

modum præscribebant, ligonémque, linteum velamen, ac candidam vestem, ipsis tradebant. Cùm autem processu temporis experimentum continentiæ dedissent, ad communem mensam admittebãtur, participésque purioris aquæ lauationis fiebant, in contubernij tamen adyta haud recipiebantur. Sed post luculentam continentiæ ostensionem, duos alios annos morum explorationi tribuebant. Túncque tandem, cùm ipsorum consortio dignissimi apparerent, in contubernium admittebantur. Prius autem quàm cuiquam ad hanc familiaritatem accessus daretur, maximo iuramento confirmare cogebatur, S. Deum se omnibus viribus culturum, erga homines iustitiam inuiolatam conseruaturum, nemini damnum illaturum, iniquos odio prosequuturum, iustitiæ propugnatoribus opem laturum, fidem erga omnes retenturum, maximè autem erga principes; quippe cùm nulli principatus potentiam absq; diuina prouidentia euenire censerent. Insuper sanctè asserere cogebatur, vt si ad sublimes potentiæ gradus proueheretur, neutiquam se neruis potestatis suæ abusurum, veste, ambitiosóque ornatu reliquis haud præfulsurum, Veritatísque amasium, ac mendacij hostem futurum. Manus à furti, animam ab iniquitatis, pollutione, puram conseruaturum. Nihil mysteriorum socios celaturum, eorum nil profanis reuelaturum, non si vitæ discrimine adigeretur. Dogmatibus tot sæculorum calculis

approbatis nullam mutationem illaturum, latrociniáque non frequentaturum. Hac iuramentorum lorica tyronum pectora roborabant. In peccatis deprahensos sodalitij iure priuabant taléſque vt plurimum miſerabili morte extinguebantur. Nam iuramento obſtricti ab aliis cibum capere prohibebantur, vndè inedia contabeſcebant, herbiſque paſti in morem pecudum fœdâ tabe enecabantur. Quamobrem, commiſeratione tacti, plurimos, hac ratione in vitæ diſcrimen adductos, recipiebant ſatis magnam pœnam ipſos luiſſe cenſentes, quòd ad extremam illam neceſſitatem compulſi fuiſſent. In iudiciis, ipſorúmne iuſtitiam, diligentiámue, extolleres, dubitaſſes. Non pauciores autem quàm centum, lites dirimebant, eorúmque decretum immobile permanebat. Poſt S. Deum, legis latorem colebant, adeò vt vel ſi quis eius nomen blaſphemia affeciſſet, mortis pœnam incurreret. Senibus patientiam accommodare, pluriúmque ſententiæ aſſentiri, honeſtum exiſtimabant. Decem conſidentibus, nullus, renuentibus cæteris, ad loquelam ora ſoluebat. Expuere in conſidentium meditullium, aut in latus dextrum, religioſè deuitabant. Sabbato autem omnem operationem fugiebant, adeò vt non duntaxat pridie cibum præpararent, ne videlicet illo die ignem accendere cogerentur, verùm quòd caput eſt ne vas quidem tranſponerent, aluúmue purgarent. Reliquis autem diebus, ſcrobiculum ligone, ad hunc vſum ſibi

tra-

tradito, parantes, in illo ventris onus reponebant, demissâ veste partes tegendas studiosè velantes, ne diuino splendori iniurij essent; terráque inducta fœces tegebant, hócque in locis secretissimis efficiebant; & licet naturalis eiusmodi purgatio esset solemnis, tamen ipsorum erat mos, portam tanquam à pollutione ablui. Disparabantur in ordines quatuor, secundùm susceptæ abstinentiæ tempora: tantúmque tyrones veteranis vitæ castitate inferiores iudicabantur, vt si fortè ab iis attingerentur, haud secus quàm profani contactu polluti, abluerentur. Vitam longæuam trahebant, adeò vt plurimis centesimus annus vitam clauderet; idq́; vt reor; ob victûs simplicitatem, ordinemque naturæ legibus, in rebus omnibus quem seruabant, congruentem. Contemptores aduersorum erant acerrimi, animíque robore cruciatus omnes superabant. Mortem cum decore obeundam, immortalitate meliorem iudicabant. Ipsorum animorũ robur, bellũ aperuit, contra Romanos gestũ Tunc etenim confractiones, adustionésq. membrorum exantlarunt, ne legislatorem probrosâ oratione compellerẽt, aut ciborum prohibitorũ quippiã gustarent. Quin & suos tortores nulla ex parte deprecati, interque tormenta neutiquam in fletum soluti, fuere: & in mediis cruciatibus subridentes, carnificibúsque insultantes, constantes animas blandâ cum hilaritate effudere; tanquam ipsarum vsuram duntaxat habentes, denuóque

ipsas recepturi. Firma enim & immobilis apud ipsos consistebat sententia, corruptibilia quidem esse corpora, ipsorúmque materiam caducam; animas autem æternas, perpetimque perennare; ac ex ætheris cacumine descendentes corporibus implicari, tanquam naturalibus corporis illecebris allectas. Quum autem carnalibus vinculis liberatæ sunt, tunc, tam quam è dura seruitute manumissas, ilicò ad originis suæ primordia in sublime efferri, dicebant. & bonas quidem in amœnissimam vltra Oceanum asserebant ablegari regionem, quæ neque imbribus, niuibus, æstibusuè infestatur, sed blandâ Zephyri aurâ mulcetur. Malas autem, ac vitæ prauitate contaminatas animas, in loca hyberna, ac perpetim niuali compede vincta, repelli, confirmabant. Futurorum ca-
Idem Ibid. suum certissimi prædictores etiam erant. Floruit autem apud Iehudeos & alia quædam Essenorum secta, in opinione de coniugio à priori duntaxat discrepans. Maximum enim damnum eos humano generi inferre eius asseclæ affirmabant, qui hominum perpetuationem matrimonium, tollebant: quippe confestim de genere humano conclamatum fore, si omnes in eandem sententiam irent. Tanta tamen cum moderatione hoc negotium transigebant, vt per triennium fœminarum valetudinem explorarent, & tunc tandem, si purgatione continuâ partui idoneæ apparerent, eas in coniugium reciperent. Cum vxore grauida non coibant,

bant; vt eam non voluptatis, sed liberorum quærendorum gratiâ, se duxisse ostenderent. Priorem illam sectam, magnifico testimonio Plinius, & ex illo Solinus ornauit: inquit enim ille: Gens sola in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina, omni venere abdicatâ, sine pecunia, socia palmarum, in diem ex æquo conuenarum turbâ renascitur, largè frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per sæculorum *millia, incredibile dictu, gens æterna est, in quâ nemo nascitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est. *At hic, fidelis Plinij plagiarius, ex eadem mente iisdem ferè verbis scribit:* Interiora Iehudææ Essenі tenent, qui prædіti morali disciplinâ, recesserũt à ritu gentium vniuersarum, maiestatis (vt reor) prouidentia ad hunc morem destinati. Nullæ ibi fœminæ, venere se penitus abdicãt; pecuniam nesciunt, palmis victitant: nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est: ad quem plurimi licet vndiq. gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocẽtiæ meritum prosequatur: nam qui reus est vel leuis culpæ, quamuis summâ ope adipisci ingressum velit, diuinitus submouetur. Itaque per immensum spatium sæculorũ, incredibile dictu, æterna gẽs est, cessantibus puerperiis.

Plin. lib. 5. cap. 17.

seculorum *centurient. in antiquitate vox.*

Solin. Polyhist. cap. 35.

De Sadducæis.

Cap. XXIV.

*Epiphanius lib. 1. Panar. cap. 4.
*Ioseph. de bello Iudaic. lib. 2. cap. 7.
*Idem Antiquit. Iudaic. lib. 18. cap. 2.

SADDVCÆI (à *Sadoc sacerdote, præceptore suo denominati; à cuius doctrina tamen defecerunt.) *fatum pernegabāt, Deúmque extra omnem mali patrationem, inspectionémque constituebant: hominibus autem liberum bonum malúmue agendi arbitrium esse, prædicabant. * Animā cum corpore simul euanescere, nec quicquam, præter legem, obseruandum, asserebant. Habebant asseclas paucos, sed dignitate conspicuos. Quotiens autem magistratus gererent, Pharisæorum sententiis subscribere cogebantur; ceteroqui, à plebecula Pharisæorum palpo inescata, nulla ratione ferebantur.

De Samaritanis, Hemerobaptistis, & Nazaræis.

Cap. XXV.

Epiphan. in Panar. lib. 1. cap. 9

SAMARITÆ à Iehudæis erant segregati, non templum, non sacrificia vel cæremonias communes, cum illis habebant. Quinque tantum Mosis libros legebant; Prophetas, ac cetera sacræ scripturæ volumina reiiciebant, mortuorum resurrectionem non credebant, spiritum Sanctum negabant. Scindebantur in sectas quatuor. Prima secta asseclæ Esseni dice-

Idem Ibid. cap. 10.

bantur

7. Nunc enim Iehoua Deus mi, tu constituisti *me* seruum tuum regem loco Dauidis patris mei: quamuis ego puer paruus nesciam procedere & redire:

8. Seruum, inquam, tuum in medio populi tui quem elegisti: populi multi, qui neque numerari neque supputari potest præ multitudine.

9. Des igitur seruo tuo animum intelligentem ad iudicandum populum tuum, discernendo inter bonum & malum: quis enim posset iudicare hunc populum tuum numerosissimum?

10. Qui sermo tùm bonus videretur in oculis Iehouæ; quòd petiisset Schelomo rem hanc:

11. Dixit Deus illi, eò quòd petiisti rem istam, & non petiisti tibi dies multos, neque petiisti tibi diuitias, neque petiisti vitam inimicorum tuorum; sed petiisti tibi discretionem ad intelligendum iudicium.

12. Ecce facio secundùm sermonem tuum: ecce do tibi animum sapientem & intelligentem, adeò vt par non fuerit tibi ante te, & post te non surrecturus sit par tibi.

30. Eratque Sapientia Schelomonis maior, quàm sapientia omnium orientalium; Lib. 1. Reg. cap. 4. vers.
& quam omnis sapientia Ægyptiorum.

31. Sapientior etiam fuit omnibus hominibus, Ethanæ Ezrachæo, & Hemane,

& Calcole, & Dardaho, filiis Macholis:
persuasitque nomen eius in omnes gentes
circumquaque:
32. Et eloquutus est ter mille sententias:
fueruntq́. cantica eius quinque supra mille.
33. Eloquutus etiam est de plantis, à ce-
dro quæ *est* in Libano vsque ad hyssopum
quæ prodit è pariete: denique eloquutus
est de iumentis, & de volucribus, & de re-
ptilibus, & de piscibus.
34. Quamobrem homines veniebāt ex
omnibus populis ad audiendam sapienti-
am Schelomonis: ab omnibus regibus ter-
ræ qui audiuerant de sapientia eius.
ib. 1. Reg. cap. 10. ersu 1. 1. Audiensque regina Schebæ famam
Schelomonis, & nominis Iehouæ, venit
ad probandum eum ænigmatibus:
2. Et ingressa Ieruschalaima cum exer-
citu numeroso admodum; camelis ferenti-
bus aromata, & aurum multum admo-
dum, ac lapides pretiosos: accessit ad
Schelomonem, & eloquuta est ei quicquid
erat in animo suo.
3. Cui indicauit Schelomo omnia verba
eius: non fuit absconditum quicquam re-
gi, quin indicauerit ei.
4. Quapropter cùm videret regina Sche-
bæ omnem sapientiam Schelomonis, &
domum quam ædificauerat;
5. Cibum etiam mensæ eius, & conses-
sum seruorum eius, & statum ministro-
rum

rum eius; & vestitum eorum, similiter à
poculis eius, & ascensum eius quo ascen-
debat in domum Iehouæ: non *erat* amplı-
us in ea spiritus.

6. Tandem dixit regi, verùm *est* ver-
bum illud quod audiuerã in terra meâ, de
rebus tuis & de sapientia tua.

7. Tamen non credidi verbis illis vsque
dum venirem, & viderent oculi mei, sed
ecce non indicatum fuerat mihi eius dimi-
dium: superas sapientiâ & bonitate famam
illam quam audiueram.

8. Beati homines tui, beati serui tui isti;
qui stantes coram te iugiter audiunt sapi-
entiam tuam.

9. Sit Iehoua Deus tuus benedictus, qui
delectatus est te, vt collocaret te in solio
Iisraëlis; quòd diligit Iehoua Iisraëlem in
seculum, ideò imposuit te regem, vt exer-
ceres iudicium & iustitiam.

10. Et dedit regi centum viginti talenta
aurei, & aromata multa valde ac lapides
pretiosos: non sunt aducta huiusmodi
aromata ampliùs tãta multitudine, quan-
ta dedit regina Schebæ regi Schelomoni.

*Plurima quoque suæ sapientiæ monumen-
ta literarum perennitati commisit Schelomo.
Scribit enim Suidas æditum ab eo de cuiuslibet
morbi remediis egregium volumen, cuius ex-
cellentiora axiomata vestibulo templi Ieru-
schalaimorum incisa fuerint: quæ ab Ezechia*

rege inde reuulsa, ac vnà cum libro flammarum violentiæ commissa sunt. Populus enim neglecto nec precibus Deo Opt. Max. inuocato, ex illis delibata à morbi morsu valetudinis instaurationem petebant. Eam quoque scientiam diuinitus consequutus fuit ad vtilitatem humani generis, quæ dæmones auerruncat. «Incantationésque composuit quibus morbi diuini pellantur, coniurationésque conscripsit quibus impuri spiritus ita fugantur, vt in posterum nunquam reuertantur. Atque hoc medelæ genus, nunc vsque plurimum apud nostrates pollet: inquit Iosephus. Vidi enim ex popularibus meis, dicit, quendam Eleazarum in præsentia Vespasiani, & eius filiorum, tribunorum, reliquorúmque militum, plurimos curantem dæmoniacos. Hic autem erat curationis modus. Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radix à Schelomone indicata, impurum educebat spiritum, ilicóque homine collapso dæmonem adiurabat ne vnquam reueniret, Schelomonis interim nomen subinde recitans incantationésque ab illo conscriptas enarrans. Volénsque Eleazarus præsentibus suæ artis efficaciam ostendere, poculum aqua refertum terræ imposuit, dæmonique ex homine exeunti imperauit vt eo euerso signum daret se hominem deseruisse; ac è vestigio dæmon imperium Eleazari exequutus est.

Lib. 8. Antiquit. Iudaic. cap. 2.

De Sam-

De Sammai & Hillel, eorumq; asseclis Pharisæis ac Scribis.

CAP. XXIII.

TESTATVR Hieronymus quòd non diu ante aduentum Christi exorti sint in Iudæa Sammai & Hillel, ac ex his Scribæ & Pharisæi. Illorum enim asseclæ duas has familias constituerunt, quæ (vt rectè veteres interpretes existimarunt) Christum non receperunt, cæterísque ruinæ causa fuerunt. Sammai meritò dissipator, ex nominis interpretatione vocatur: & Hillel profanus: quod per traditiones, & δευτερώσεις suas, legis præcepta dissipauerint, atq; maculauerint. Horum scholam primus accepit Achibas, post eum Meir, tertio loco Ioannan, inde Eliezer, post quem Delphon, cui successit Ioseph Galilæus, atq; vltimo loco vsq; ad cladem Ieruschalaimorum per Titum illatam Iehoschuah. Ex his qui legi interpretando nauabant operam, Scribæ dicebantur; cæteri communi nomine Pharisæi. Omnes autem superstitionibus cum pertinacia inhærentes, obdurantes se contra veritatẽ (vt est Euangelicus sermo) cæci facti sunt, & duces cæcorum. Erant horũ dogmata à veritate deuia. *Fato cuncta tribuebant: animarúmque iudicia sub terra fieri affirmabant: transanimationem Pythagoræam hoc temperamento astruebant,

cap. 8. in Isai.

Matt. 15.

*Iosephus antiq. lib. 18. cap. 2. De bell. Iudaic. lib. 2 cap. 7. Epiphan. in Panar. lib. cap. 16.

astruebant, vt solas bonorum transire in alia corpora, malorum autem animas interminato supplicio cruciandas assererent. Suppetunt de his & ex Euangelio testimonia, dum in Christum quidam ipsorum putantes transmeasse Matt. 14. Marc. 8. Luc. 9. *animam Eliæ, alii Hieremiæ, alij verò Ioannis Baptistæ, dicebant illum esse Eliam, vel Hieremiam, vel Ioannem Baptistam siue alium quempiam ex Prophetis. Astronomiæ quoque cultui eosdem vehementer fuisse addictos, in hisque Græcorum vanitates esse sectatos, auctor* In Panar. lib. 1. cap. 16. *est Epiphanius. Insuper iidem vitiosa interpretatione quod Legē corruperint, Christi domini nostri testimonio sæpius conuincuntur. Porrò quòd ad vitæ institutum attinet, nundinariâ quadam sanctitate sic animos omnium sibi conciliabant, vt quòd ipsi dicerent, vel facerent, ius fásque ab omnibus esse crederetur. Quòd* Antiq. lib. 13. cap. 18. *innuit hisce verbis Iosephus:* Tanta est eorum auctoritas apud populum, vt etiam si regi obloquerētur, aut Pontifici, fidem tamen vulgus eis habeat. *Et alibi:* Antiq. lib. 17. cap. 3. Genus hominum astutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infestum, vt eos etiam Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 2. apertè impugnare non vereantur. *Vitam autem ita instituebant, vt ipsorum victus simplex esset, nullisque delitiis eneruatus. Ipsorum autem tyrocinia si quis attentè inspexerit, vehementi admiratione perfundetur. Ea hisce* Lib. 1. Panar. cap. 16. *verbis delineat Epiphanius:* Quidam ipsorum, cùm se exercebant, præscribebant decennium,

cennium, aut octennium, aut quadriennium virginitati & continetiæ: & frequentius orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, vt ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandestinò per somnia tristis corporis defluxio contingeret. Et alij ex ipsis asseres sibi ipsis parabant dodrantis tantum latitudine, & in his se ad vesperam locabant, vt si quis dormisset, in pauimentum decideret, & rursum excitaretur ad orationem, per hoc quòd vigilantem vitam haberent, quantum fieri posset. Alij lapillos ex aquis collectos sibi ipsi sternebant, vt dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur, sed vigilantiam sibi ipsis parare cogerentur. Alij spinas pro strato habebant ob eandem causam. Ieiunabant bis in sabbato, secundâ & quintâ die; decimabant decimationes, dabant primitias, trigesimas & quinquagesimas; sacrificia & vota exactissimè exsoluebãt.*In Scribarum habitu progrediebantur, per amicula, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis & calceamentorum ligulis procedentes. Nam fimbrias ac prætextus quosdam in quatuor alis amiculi vnusquisque habebat ex ipso stamine illigatos, quo tempore continenter agebant, aut virginitatem excercebant: singuli enim determinatum castitatis aut continentiæ tempus habebant, & hæc ipsorum

Epiph. eodem lib. 1. cap. 15.

ſorum exemplaria erant ad declarandum hominibus ſuam profeſſionem, vt nemo contingeret ſcilicet ſanctificatos. Dicebantur autem Phariſæi, eò quòd ſeparati eſſent ab aliis, propter ſpontaneam ſuperfluam religionem apud ipſos receptam. Per hæc, *inquit Ioſephus*, magnam ſibi Phariſæi auctoritatem parauerunt apud populum; & quicquid ad ſolemnes præcationes & cultum diuinum attinet, iuxta horum interpretationem & præſcriptum ſolet fieri, tantum habent à ciuitatibus ſapientiæ, temperantiæ, & vitæ honeſtioris teſtimonium. *Cùm autem eiuſmodi ſanctitatis ſpeciem extrinſecùs præ ſe ferrent, & ad decipiendos homines compoſitam laruam induerent: quales intus eſſent, qui nouit corda hominum; egregiè quibuſdam quaſi coloribus depinxit, cùm ait:*

Idem Ibid. cap. 16.

Matt. cap. 23. verſ. 27.

Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui aſſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ extrà quidem apparent ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, omnique immunditia.

33. Serpentes, progenies viperarum, quomodò effugere poſſitis condemationem gehennæ.

De Reca-

bantur, quorum historiam iam enarrauimus. Secundæ, Sebuæi, qui cum Essenis in omnibus concordabant, præterquam quòd tempora solemnium festiuitatum mutarent. Tertiæ sectæ pedissequi Gorreni nuncupabantur, à Sebuæis in temporum digestione discrepantes. Quartæ sectæ fautores Dosithei appellabantur, à reliquis sectis prorsus dissentiebant; nam, mortuorum resurrectionem profitebantur, ab animatis abstinebant, Sabbatum adeo superstitiosè colebant, vt, quo in loco, habitu, situ, quemlibet ipsorum Sabbatum deprehēdisset, eodem in loco ac statu, immobiles permaneret, donec eius diei maiestas euanuisset. Præclarè stupendum hunc ritum aperit Synesius, nauigationē suam Euoptio his verbis commemorās: Cùm exortâ tempestate, exacta esset dies parasceues, & vesperi decidente, Sole, Iudæi qui nautæ erant, sabbatum inchoarent: qui clauum tenebat, mox vt Solem reliquisse terram coniectauit, relicto clauo, prosternit se, seque cuique calcandum exhibuit. Rati autem nauigantes, id ex desperatione eum fecisse, omnes consternabantur: cùm autem causam accepissent, quidam gladio euaginato necem eidem intentabant, vt in opus incumberet: ille verò immobilis librum legebat legis, nec minùs quam Macbæus mortem contemnebat. Sicque totâ nocte, cum sequenti die, vsque ad dimidium noctis, sedit Iudæus otiosus; tunc verò

Idem Ibid. cap. 11.

Origenes Periarch. lib. 4.

spontè surrexit, & clauum omissum recepit. *Repudiabant & hi Prophetas; ac nonnulli eorum unicam uxorem ducebant quâ denatâ, perpetim coniugium fugiebant; alij à matrimonio prorsus alieni, perpetuam virginitatem amplectabantur. Vigebat & apud Iehudeos aliud quoddam hominum genus, quod à Phariseis aliqua, quedam à Saduceis mutuatum monstrum quoddam conflauerat. In reliquis etenim eius secta sectatores Phariseis assentientes, cum Sadduceis mortuorum resurrectionem negabant. Caput autem morum ipsorum erat, quod Vere, Æstate, Autumno, & Hieme, cotidie baptizarentur: arbitrantes homines non posse viuere nisi singulis diebus aque immergerentur, eáque ratione sanctificarentur. Vndè appellati fuere Hemerobaptistæ, vt docet Epiphanius: qui iis addit Nazareos, qui nec libros Mosis recipiebant, nec sacrificia cum reliquis communia habebant, animantiúmque esum, tanquam immundorũ refugiebant.*

Tertul. de præsc. & Hieron. conta Luciferianos. Epiphan. lib. Panor. cap. 13.

in Panar. lib. 1 cap. 17. & 18.

De Orpheo Thrace.

Cap. XXVI.

Fvit *Orpheus, vt sensit Myrleanus Asclepiades, Apollinis, & Calliopes vnius Musarum, filius: nam quamuis diuersæ fuerint variorum scriptorum de illius parentibus sententiæ, tamen Myleani sententiam poëta-*

rum

rum Syrenophœnix Virgilius, in Pollione amplectitur, dum scribit,

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis, atque huic pater absit,
Orphei Calliope, Lino formosus Apollo.

At Menechmus, Apollinis illum filium fuisse, suppressa matris mentione, innuit canens,

Pieres immites pœnas, certe inde luetis;
Quòd l cæsus vobis est natus Apollinis Orpheus.

Apollonius verò libro primo Argonauticorum OEagri & Calliopes filium fuisse his versibus asserit;

Atque alios inter primùm cantabimus Orphea,
Calliope OEagro peperit Propter dos illum
Non longinqua iugis, lecto coniuncta iugali.

Alij OEagri & Polymniæ, alij Menippes, alij Thamyridis filium fuisse volunt; Talemúmque & Hymenæum fratres habuisse asserunt. Tantâ ipsum canendi peritiá excelluisse dicunt, vt ad eius cantum fluuij consisterent, aues aduolarent, feræ properarent, venti, syluæ, saxa, omniaque sensu carentia accurrerent, canente Seneca,

In Hercule Oetæo.

Illius stetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblitusque sequi fugax,
Amisit liquor impetum;
Et dum fluminibus mora est
Defecisse putant Geten
Hebrum Bistones vltimi.
Aduexit volucres nemus,
Et sylua residens venit;
Aut si qua aëra peruolat,

Auditis

Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit scopulos Athos,
Centauris obitum ferens:
Et iuxta Rhodôpe stetit
Laxatâ niue cantibus.
Et quercum fugiens suam
Ad vatem properat Dryas.
Ad cantum veniunt suis
Ipsæ cum latebris feræ,
Iuxtaque impauidum pecus
Sedet Marmaricus leo,
Nec damæ trepidant lupos.
Et serpens latebras fugit
Tunc oblita veneni.

Idem testatur Horatius & Apollonius. Ille his versibus,

Lib. 1. Carmin. Ode 12.

Quem virum, aut heroa, lyrâ, vel acri
Tibiâ sumis celebrare Clio?
Quem Deum? cuius retinet iocosa
Nomen imago,
Aut in vmbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo gelidoue in Hæmo?
Vnde vocalem temere insecutæ
Orphea syluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celerésque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Hic, hoc carmine eadem sententia subscribens,

Lib. 1. Argonaut.

Hunc referunt duros lapides, & flumina, cantu
Detinuisse, suæ capta dulcedine vocis.
Syluestres fagos intra confinia terræ
Threiciæ quæ nunc frondent, vestigia cantus
Illius esse ferunt: quas secū adduxerat Orpheus
Vertice Pierio citharæ dulcedine, & artis.

Et quamuis plures fuerint Orphei, vt testatur Suidas

uidas, omnia tamen omnium facta vetustis-mo Thraci OEagri *filio tribuuntur. Scripsit primus apud Græcos de Astrologia, testante* [L]*uciano:* Græci nihil vel ex Æthiopibus, [u]el ex Ægyptiis, de Astrologia audiuerunt, [s]ed illis Orpheus, Calliopes & OEagri fi-[l]ius ea primus explicauit. *Introduxit & hic* [p]*rimus in Græciam Bacchi sacra, Thebisque* [B]*œotiis festa, à se dicta Orphica, instituit. Plu-*[r]*ima quoque humanæ vitæ vtilia repperit,* [n]*am primus Deorum initia, vniuersamque* [t]*heologiam reclusit, nefariorum facinorum ex-*[p]*iationes excogitauit, ritusque irata numina* [p]*lacandi tradidit, ac plurima morborum re-media inuenit, vt ipse in Argonautis his ver-bis testatur:*

In Dialogo de Astrologia

Dicere fert animus quæ nunquā tempore lapso
Dixi: cùm Bacchi, cum regis Apollinis actus
Sum stimulo, horrenda vt narrarem spicula,
& idem
Fœdera cum superis mortalibus, atque medelas.

Scripsit de elementorum transmutatione, de rerum naturalium amoris efficaciâ, de Gigantum cum Ioue pugna, de raptu & luctu Proserpinæ, de erroribus Cereris, de laboribus Herculis, de ritibus sacrorum Idæorum, & Corybantum, de gemmis, de occultis oraculorum responsis, de Veneris & Mineruæ sacrificiis, de Ægyptiorum luctu ob mortem Osyridis illorúmque lustrationibus, de vaticiniis, de auspiciis de fibrarum situ, de somniorum interpretatione, de prodigiis eorúmque auerrunca-

Ipso in Argonaut. teste.

tione, de expiatione inferorum, de ratione & motu astrorū. Verùm omnia hæc præclarissima Orphei scripta morsus æui consumsit. Quæ enim hodiè circumferuntur Orphei sententiam quidem exprimunt, at Orphei stilo non conscripta sunt. O execrandam Circeam illam manum, quæ malis venis excellentissimi huius viri scripta immutauit! Nec est quod nos vehementius ringamur, eadem necessitas & ipsis Græcis florentissimo illo æuo imposita. Vnde non Orphei, sed Orphica scripta, ea appellat Aristoteles: Hoc etiam accidit sententiæ in carminibus, quæ Orphica vocantur, expressæ: inquit enim animam ex vniuerso ingredi, *animalibus* respirantibus, delatam à ventis. Itaque hoc plantis accidere non potest. nec animalibus quibusdam, siquidem non omnia respirant. *Fuit hic Philosophus sapientissimus, Lini doctrinæ medullis enutritus, &, vt illa ætas ferebat, diuinarum rerum peritissimus. Quantæ autem sapientiæ fuerit ex hisce eius versibus liquet:*

Philoponus.

Lib. 1. de Anim. cap. 7. contex. 84.

In lib. de gemmis.

At quemcumq. virum ducit prudentia cordis,
Scire cupit si fortè, sciet quæcumque volutant
Pectoribus tacitis mortales, quæque volucres
Inter se stridunt cæli per summa volantes,
Infandum vt crocitēt cantum mortalibus vllis,
Significentque Iouis mentem, gens nuntia fati.
Is serpentis humi noscet firmare draconis
Sibila, serpentumque sciet superare venena.

Pausanias in poster. Eliacis.

Non defuere qui Orpheum & Amphionem magos Ægyptios fuisse asseruerint. Fama est eum

m uxorem habuisse Euridicen, cuius amore m flagraret Aristæus, eámque insequeretur, t captæ vim inferret, illa per loca deuia fu- ens,

Occidit in talum serpentis dente recepto.
Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras — Ouid. lib. 10 Metamorph.
Defleuit vates, ne non tentaret & vmbras;
Ad Styga Tœnariâ est ausus descendere portâ.
Perque leues populos simulachraque functa sepulcro.
Persephonen adiit, inamœnaq. regna tenentem
Vmbrarum dominũ: pulsisq. ad carmina neruis,
Sic ait: O positi sub terra numina mundi,
In quem recidimus quidquid mortale creamur,
Si licet, & falsi positis ambagibus oris
Vera loqui sinitis; non huc vt opaca viderem
Tartara, descendi; nec vti villosa colubris
Torua Medusæi vincirem guttura monstri:
Causa viæ est coniux. in quam calcata venenum
Vipera diffudit; crescentesque abstulit annos.
Posse pati volui: nec me tentasse negabo. (est.
Vicit amor. supera Deus hic bene notus in ora
An sit, & hîc, dubito: sed & hîc tamen augu- tor esse:
Famaque si veteris non est mentita rapinæ;
Vos quoque iunxit Amor. per ego hæc loca plena timoris,
Per Chaos hoc ingens, vastique silentia regni,
Eurydices oro properata retexite fata.
Omnia debentur; vobis: paulumque morati
Serius aut citiùs sedem properamus ad vnam,
Tendimus huc omnes: hæc est domus vltima; vosque
Humani generis longissima regna tenetis.
Hæc quoq. cùm iustos matura peregerit annos;
Iuris erit vestri: pro munere poscimus vsum.

Quod

Quod si fata negāt veniam pro coniuge, certum
Nolle redire mihi. leto gaudete duorum. (est
Talia dicentem, neruosq. ad verba mouentem,
Exangues flebant animæ: nec Tantalus vndam
Captauit refugam: stupuitque Ixionis orbis
Nec carpsere iecur volucres; vrnisq. vacarunt
Belides, inque tuo dedisti Sisyphe saxo.
Tum primùm lacrimis victarū carmine fama est
Eumenidum maduisse genas; nec regia coniux
Sustinet oranti, nec qui regit ima negare:
Eurydicenque vocant: vmbras erat illa recentes
Inter, & incessit passu de vulnere tardo (pheus;
Hanc simul, & legem Rhodopeius accipit Or-
Ne flectat retrò sua lumina; donec Auernas
Exierit valles: aut irrita dona futura.
Carpitur accliuis per muta silentia trames
Arduus, obscurus, caligine densus opaca.
Nec procul absuerant telluris margine summæ:
Hic, ne deficeret, metuens, auidusque videndi
Flexit amans oculos: & protinus illa relapsa est.
Brachiaque intendens, prendique, & prendere
certant,
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Iamq. iterum moriens, non est de coniuge quid-
quam (tam
Quæsta suo: quid enim nisi se quereretur ama-
Supremumque vale, quod iam vix auribus ille
Acciperet; dixit: reuocataque rursus eodem est.
Non aliter stupuit gemina nece cōiugis Orpheus
Quam tria qui timidus medio portante catenas
Colla canis vidit: quē non pauor antè reliquit,
Quam natura prior, saxo per corpus oborto;
Quique in se traxit crimen: voluitque videri
Olenus esse nocens: tuque ô confisa figurâ
Infelix Lethæa tua, iunctissima quondam
Pectora, nūc lapides, quos humida sustinet Idæ.
Orantem, frustraque iterum transire volentem
Portitor arguerat; septem tamen ille diebus
Squallidus

Squallidus in ripa Cereris sine munere sedit:
Cura dolorq́. animi, lacrimæq́. alimenta fuere.
Esse Deos Erebi crudeles quæstus, in altam
Se recipit Rhodopem, pulsumq́. Aquilonibus
Hæmum.

Tunc solamina cantibus
Quærens flebilibus modis
Hæc Orpheus cecinit Getis:
Leges in superos datas
Et qui tempora digerens
Quatuor præcipitis; Deus
Anni disposuit vices,
Nulli non auidas polo
Parcas stamina nectere.
QVOD natum est poterit mori.

Seneca in Hercul Oetæo.

Literarum monumentis etiam obsignauit qua ratione per Tenarum ad inferos descendisset, & quanã ibi cõspexisset, vt ipse testatur, inquiens:

Cætera narraui quæ vidi, vt Tænara adiui,
Vmbrosas Ditisque domos, & tristia regna;
Confisus cithara, vxorisque coactus amore,

in Argonauticis.

Referunt ipsum cùm ad inferos descendisset, ibi Deorum omnium laudes cecinisse, preterquam Liberi patris, cuius encomia per obliuionem prætermisit. Quamobrem irâ percitus Dyonysius, Bacchas suas furore afflauit, eásq; in eum immisit, quæ eum miserè dilaniarunt, membratímque discerptum per campos disseminarunt, à canibus alitibúsque deuorandum. Sed tamen à Musis ipsius membra collecta fuere, ac in Dio Macedoniæ terræ mandata, quòd Apollinem præ reliquis ingentibus laudibus exornasset. Historiam hanc natiuis suis coloribus delineat Ouidius, canens,

Lib. 11. Metamorphos.

Ecce nurus Ciconum tectæ lymphata ferinis
Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
Orphea percussis sociantem carmina neruis.
E quibus vna, leues iactato crine per auras,
En, ait, en hic est nostri contemptor: & hastam
Vatis Apollinæi vocalia misit in ora:
Quæ foliis præsuta, notam sine vulnere fecit.
Alterius telum lapis est, qui missus in ipso
Aëre, concentu victus vocisque lyræque est:
Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis
Ante pedes iacuit. sed enim temeraria crescunt
Bella: modusque abiit: insanaq. regnat Erinnys:
Cunctaque tela forent cantu mollita: sed ingens
Clamor, & inflato Berecynthia tibia cornu,
Tympanaque, & plausus, & Bacchæi vlulatus
Obstrepuere sono citharæ, tum denique saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine Vatis.
Ac primum attonitas etiamnum voce canentis
Innumeras volucres, anguesq; agmenq; ferarum,
Mænades Orphei titulum rapuere theatri:
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris:
Et coëunt vt aues, si quando luce vagantem
Noctis auem cernunt: structoq; vtrimq; theatro.
Vt matutinâ ceruus periturus arena (virentes
Præda canum est: vatemque petunt: & fronde
Coniiciunt thyrsos, non hæc in munera factos
Hæ glebas, illæ direptos arbore ramos,
Pars torquent silices: neu desint tela furori;
Forte boues presso subigebant vomere terram
Nec procul hinc multo fructum sudore parantes
Dura lacertosi fodiebant arua coloni.
Agmine qui viso fugiunt, operisque relinquunt
Arma sui: vacuosque iacent dispersa per agros
Sarculaque, rastrique graues, longique ligones.
Quæ postquam rapuere feræ, cornuque minaci
Diuulsere boues, ad vatis fata recurrunt:
Tendentemq. manus, atq. illo tempore primum
Irrita dicentem, nec quicquam voce mouentem

Sacrilegæ

Sacrilegæ perimunt: perq. os (prò Iupiter) illud
Auditum saxis, intellectumque ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
Te mæstæ volucres Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidi silices, tua carmina sæpe secutæ
Fleuerunt siluæ: positis te frondibus arbos
Tonsa comas, luxit: lacrimis quoque flumina dicunt
Increuisse suis: obscurataque carbasa pullo
Naiadas, & Dryades, passosq. habuere capillos.
Membra iacét diuersa locis. caput Hæbre lyrámq.
Excipis, & (mirum) medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid quæritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis: respondent flebile ripæ.

Alij dixerunt ipsum à Ioue fulmine fuisse percussum in Thracia, ut in his versibus testatur Leonidas:

Conditus à Musis tumulo hoc est Thracius Orpheus,
Fulmine flagranti Iuppiter vssit eum

Fertur. lyra, capútque ipsius, in Hebrum fuisse deiectum, ac rapidi fluminis vi in Lesbum delatum, ibique sepultum: lyram autem inter sidera relatam, & à singulis Musis, quarum laudes eximiè cecinerat, insigni stella insignitam. Alij memorant illum post mortem Euridices cæterarum mulierũ coniugium spreuisse malum ingẽs esse fœminã: ac multis persuasisse: vndè, cùm multi odio mulieres prosequerẽtur, illæ ira ac indignatione bullientes, simulatis Liberi patris sacrificiis ipsum dilacerarunt. Alij turpissimam, & tanto viro indignissimam mortis causam tradidere, quam indicat Ouidius, inquiens,

Apollonius Cyrenaicus in lib. de Diis

Lib. 10. Metamorphos.

Lib. 10. Metamorphos. Ille etiam Thracū populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares: citraque iuuentam
Ætatis breue ver, & primos carpere flores.

In Beoticis. *Pausanias, indignatas ait Thracum fœminas, quod ob cantus suauitatem multos viros secum abduceret: easque cùm largius mero se impleuissent, ipsum discerpsisse.* In Philadelphis. *At Gelcius Apollodorus iudicem Calliopem electam à Ioue fuisse dicit, vt Veneris & Proserpinæ litem de Adonide dirimeret: illam autem vtrique communem iudicasse. Inflammatam Venerem, in Calliopes filium Orpheum mulieres concitasse. Alij autem asserunt ita eam omnium fœminarum amorem in ipsum vertisse, vt ab illis apprehensus, dum summo conamine de ipsius possessione contenderent, raptim discerptus fuerit. Agatharcides affirmat Orpheum mortua Eurydice* Agathar. Cnidius lib. 22. rer. Asiaticar. *ad Acerbum venisse in Thesprotidem, vbi peruetus euocandarū animarum oraculum erat: ibi cùm Eurydicen sibi adesse putasset, séque deceptum comperisset, sibi mortem conscíuisse. Mortem huius poetarum Syrenophœnicis omnes Musæ grauissimè tulere, sed imprimis Mnemosyne & Calliope, vt in hisce carminibus ait Antipater:*

Non quercus, non saxa trahes dulcedine cantus
Orpheu, non poteris detinuisse feras.
Non ventosq. niuesq. domabis, grādinis aut vim,
Non mare vt insanis litttera pulsat aquis.
Mortuus es natæ lacrimis luxere profusis
Mnemosynes, luxit Calliopeque parens.
Sed cur lugemus natos? nam Ditis auari
In natos superum ferrea iura manent.

Ha

Hæ fuere veterum de Orpheo, eiúſque vita, fabularum inuolucra. Dicitur enim Orpheus fuiſſe filius Apollinis & Calliopes, quoniam facundiâ, carminiſque fœcunditate clariſſimus erat. Priſcis enim temporibus omnes à virtute & arte illuſtres viri Deorum filij dicebantur, quòd eorum animæ ex ſideribus, Soléue, originem ducere exiſtimarentur. Hícque cùm in rudes adhuc mortales incidiſſet, qui ſine vllo morum delectu, ſine legibus viuerent, ferarúmque ritu per agros nullis etiamnum conditis tectis vagarentur, tantum ſermonis orationíſque ſuauitate effecit; vt ad manſuetum vitæ genus ipſos traduceret, in vnum cogeret, ciuitatéſque condere, legibus obtemperare, matrimoniorum fœdera ſeruare, doceret. Hoc enim priſcorum philoſophorum munus erat; vt egregiè oſtendit Horatius canens,

Syluestreis homines ſacer, interpreſque deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus: In lib. de Art. Poët.
Dictus ob hoc lenire tigreis rabidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda,
Ducere quo vellet. fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago: dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit.

Primus Orpheus inſtrumento muſico ſeptem chordarum vſus eſt; vnde Virgilius Æ. 6. inquit,

Nec non Threicius longâ cum veſte ſacerdos

Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Iamq. eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

Tantúmque dicendi robur habuit, vt ærumnis prostratos animos erigeret, ac, consolationis neruis adhibitis, in priorem statum immobiles reponeret. Orpheus igitur placatis inferis, idest animi perturbationibus, in lucem pretrahere conatus est Eurydicen, quæ vt nomen ipsum signat, nihil aliud est quàm Iustitia & æquitas. Ad inferos autem illa retracta fuit ob nimium Orphei amorem, quod acerbior in iure dicendo, sceleribúsque vindicandis esset.

De Hermete Trismegisto Noachi auditore, ac pædagogo Chusi.

CAP. XXVII.

HERMETEM *Trismegistum virum apud Ægyptios sapientia celebrem fuisse, doctissimi omnis æui viri consonâ voce approbauere. Primus, tot illustrissimis testimoniis reiectis, Ioannes Goropius Becanus Hermetem hunc neminem hominum fuisse ausus est affirmare, pluribúsque argumentis persuadere conatus est, quæ ferè omnia dependent ex nomine* Thoot, *quod dicit originem ducere ab* Heet *&* Hoot, *quæ voces Cimmeria lingua caput denotant. Hæc nomina dicit Ægyptios in suam linguam transtulisse eadem significatione retenta: eámque ob causam statuas illas in qui-*

bus

bus vitæ præcepta incisa erant, quæ nihil humani præter pudenda & caput habebant, hoc nomine ab ipsis appellatas. Verùm Veritati consentaneum esto, Hoot ac Thoot Ægyptiis caput signare; ideone necessariò sequetur nullum hominem vnquam hoc nomine nuncupatum? Apud Aphros Cæsar elephantem signat, apud Romanos verres porcum castratum; bal apud Belgas pilam Nullus igitur Romanorum Cæsar, aut Verres; Bal Assyriorum Deus nullus Punicè dictus? Quæ malùm hæc argumentatio est? Thoot caput denotat, nullus ergo Thoot dictus. Imò contrarium multis partibus verisimilius, Thoot caput significat, ergo is qui velut caput inter reliquos philosophos eminebat, Ægyptiis Thoot dictus est; vt Corculū Romanis is qui cæteros prouida cura superabat. Sed his missis rem rigidiori lima tetemus. Certissimum est Isidis & Osiridis temporibus Hermetem vixisse: Isis enim, teste Diodoro Siculo, huiusmodi inscriptionem columnæ imposuit, Ego sum Isis totius regionis regina ab Hermete instituta Dicitque Sanchoniato ipsum fuisse scribam Saturni, seu Chamephis iunioris, qui fuit pater Isidis & Osiridis, filius Chami, proprio quidem nomine dictus Chus, at communi cum patre Saturnus, seu Chamephes iunior. Vndè in Isidis Epitaphio scriptum, Ego sum iunioris Saturni Dei filia, natu maxima. Patremque Chusi, id est Chamum, eodem nomine dictum, hæc sacri libri verba testantur. Mentem

adhibe, ô Hore fili, occultam enim audies contemplationem, quam auus tuus Chamephes audiit ab Hermete, qui omnium rerum commentaria scripsit, ex sermonibus omnium progenitoris Chamephis, *id est Noachi. Cùm enim Horus esset Isidis Osiridisque filius, Isis autem & Osiris Chusi, is autem Chami; Chus necessariò fuit auus Hori: Chami autem, seu Chamephis, vel Saturni iunioris progenitor Noachus, qui dictus est Saturnus, & Chamephes senior, cuius sermones Hermes audiuerat, & ab Hermete iunior Chamephes, qui videtur esse Chami filius Chus, eodem quo pater nuncupatus nomine. Fuit itaque Hermes auditor Noachi, Chusi præceptor & scriba, eiúsque liebrorum Isidis Osiridísque præfectus. In tanta hominum veneratione fuit, vt in Deorum numerum, postquã ex hac vita migrasset, relatus fuerit: templa ipsius numini constructa qua[illegible] noménque ipsius proprium, ob reuerentiam, pronuntiare vulgò ac temerè non liceret; ac primus anni m[illegible]sis eius nomine signaretur. Trismegistum verò id est ter maximum nuncuparunt, quod summus Philosophus, sacerdos, & rex maximus esset. Is enim ab Ægyptiis mos frequentabatur, vt ex Philosophorum numero sacerdotes, ex sacerdotum cœtu regem eligerent. Hic igitur quemadmodum acumine atque doctrinâ philosophis omnibus præfulserat, ita sacerdotis munere fungens sanctimoniâ vitæ, diuorúm-*

uorúmque cultu, cunctos sacerdotes multis parasangis superauit: ac tandem adeptus regiam dignitatem æquitatis iustitiæque administratione, & rerum gestarum magnitudine, omnium antecessorum suorum gloriam offuscauit, vt verissimè Trismegistus nuncuparetur. Primus Philosophorum à Physicis ac Mathematicis, ad diuinam contemplationem se transtulit: primúsque de maiestate Dei, dæmonum ordine, ac animarum mutationibus, sapientissimè disputauit. Posteriori æuo in Theologiæ peritia eum sequutus est Orpheus, Orphei sacris initiatus est Aglaophemus. Aglaophemo successit Pythagoras, cuius vestigia Philolaus diuini Platonis præceptor pressit. Itaque vna priscæ Theologiæ secta exstitit, ex Theologis sex miro quodam ordine conflata: exordia ab Hermete sumens, & in diuino Platone terminum ponens. Cæterùm, Seleucus dicit Hermetem Trismegistum vniuersalia principia duabus voluminũ myriadibus descripsisse. At Menetus, voluminum sex & triginta millibus, quingentis atque viginti quinque. Horum librorum catalogum quamplurimi ingrediuntur, ad diuinarum rerum cognitionem pertinentes: in quibus, proh Deus immortalis, quàm arcana mysteria, quàm stupenda panduntur oracula! nec vt Philosophus tantùm, sed vt propheta sæpenumerò loquitur, canitque futura. Hic ruinam præuidit priscæ religionis, hic ortum nouæ fidei, aduentum Christi, futu-

rum iudicium, resurrectionem hominum, beatorum gloriam, & supplicia peccatorum. Adeò vt Augustinus dubitauerit, peritiáne siderum, an verò reuelatione dæmonum, multa protulerit. Lactantius autem inter Sibyllas Prophetásque ipsum reposuerit. Quin & Chalcidius hæc verba Hermetem moribundum pronuntiasse ait: Hactenus fili pulsus è patria vixi peregrinus & exul, nunc incolumis patriam repeto. Cùmque paulo post à vobis corporeis vinculis solutus discessero, videte ne me quasi mortuum lugeatis. Nam ad illam optimam beatamque ciuitatem regredior, ad quam vniuersi ciues mortis sorte venturi sunt. Ibi solus Deus est summus princeps, qui ciues suos replebit suauitate admirãda *At hæc, quam multi vitam existimant, mors est potius dicenda quàm vita. Cùm autem iam in ipso Fati limine staret, & supremis aëris haustibus frueretur, in hæc verba prorupit:* O cælum magni Dei sapiens opus, teque ô vox patris quam ille primam emisit, cùm vniuersum constituit mundum, præcor per vnigenitum verbum & spiritum cuncta comprehendentem, miseremini mei. *Vt autem ad ipsius scripta descendamus, sciendum ex tot libris duos duntaxat æui dentem effugisse, quos si seriò inspicias, fatebere omninò priscæ Sapientiæ ambrosiam redolere. Eos vt à lima labentis æui vindicaret Marsilius Ficinus egregio commenta-*

Volaterran. lib. 15

mentariorum robore muniuit, in publicáque Europæ luce versari iussit. Prior horum Pimandi titulum præfert, quoniam ex quatuor personis quæ in Dialogo disputant, primæ Pimandro partes attribuuntur. Est autem eius propositum de potestate & Sapientia Dei differere. Cúmque sint horum operationes geminæ, quarum prima in ipsa Dei natura permanet, secunda porrigitur ad externa: & illa quidem Mundum primum æternumque concipit; hæc verò Mundum secundum temporalémque parit. De vtrisque operationibus, & de vtroque Mundo grauissimè disputat. Docet quid Dei potestas, quid sapientia: quo ordine extrinsecus concipiant; quo progressu exterius pariant. Præterea quæ producta sunt quomodo se inuicem habeant, quo conueniant, quóue discrepent, quo denique pacto suum respiciant auctorem. Ordo autem Voluminis est, vt in Dialogos quatuordecim distinguatur, vtque primæ dialogi partes Pimandro dentur: secundas teneat Trismegistus: tertias Æsculapius: quartum locum obtineat Tatius. Intendit ergò Mercurius in diuinis Æsculapium ac Tatium erudire. Diuina docere nequit, qui non didicit, ac humano ingenio quæ supra naturam sunt inuenire non possumus. Diuino itaque opus est lumine, vt Solis luce Solem ipsum intueamur. Lumen verò diuinæ mentis nunquam infunditur animæ, nisi ipsa, ceu Luna ad Solem, ad Dei mentem penitus conuertatur. Non conuer-

titur

titur ad mentem anima, nisi cùm ipsa quoque fit mens. mens verò non prius fit, quàm deceptiones sensuum, & phantasiæ nebulas deposuerit. Hac de causa Mercurius modo sensus, & phantasiæ caligines exuit, in aditum mentis se reuocans: mox Pimander, idest mens diuina, in hunc influit, vnde ordinem rerum omnium, & in Deo existentium, & ex Deo manantium, contemplatur. Demum quæ diuino sunt numine reuelata, ceteris hominibus explicat.

De Impura MAGIA *Asiatica, Africana, & Europæa.*

TRACTATVS. IV.

De Asiatica Magia, eiusq; auctore ZOROASTRO *seu* ZARADE *Persâ.*

CAP. XXIIX.

Iul. Scalig. exercit. 327.

MAGIA *triplex est. Vna hîc infima & nostras: sanè & fœda, & sordida: tum cantiunculis, cadaueribus, funibus suspendiosorum. quæ si quis attrectare audeat, etiam mereatur. Media ex astris deducit vires in specula, sigilla, annulos, tabellas. Tertia diuina est, per quam naturæ opera cernuntur clarius, eámque vt honestam & expetendam*

Philo in lib. De specialibus legibus.

non

non plebei solùm excoluere, sed etiam reges regum maximi, præsertim Persici, tam eius curiosi, vt ad regni moderamen aspirare non auderent, nisi hac medullitùs madefacti. Alteras autem illas duas Magiæ species artes neutequam esse, summus Medicorum dictator Hippocrates hoc rationis radio ostendit: Omnis artifex dominatur instrumento; at Magus instrumento non dominatur, quippe cùm se sit potentius, maxima nimirum potestatis spiritus Diabolus; ergo nec Magus est artifex, nec Magia ars. Nam quod plebs existimat Magia imbutum alteri nocere verbis, nugale est. Nam quis illa eum verba docuit? Numquid homo alius? & quis illum? Non cœlestis intelligentia. Nam quis eam facere audeat auctorem fascini? ergo malus Dæmon. Non vt hominem faceret potentiorem: sed vt ipsum deciperet credulitate atque sociũ haberet tum impietatis, tum æterni exilij. Ipse igitur agit Dæmon. Stultus ille, ac vecors putat, suis se verbis agere. Ita iecinorum fibræ, & corda, inuersa, supposita, mutilata, ablata fuerunt olim ab eodem: qui ea sacra vti fierent, suis responsis miseris persuaserat. Primus spurcam hanc imposturam Zoroaster, siue Zarades, Persa egregiè excoluit. Is enim præcellenti à natura donatus ingenio, detestando genio agitatus priscorum Persarum diuinos humanósque ritus immutauit. Antiqui enim Persæ Belum siue Iouem, Sandem seu Herculem, Anaitida siue Venerem venerabantur;

In lib. De Arte.

Berosus Babylonius & Atheocles in commentariis de Assyriorum Medorumque rebus.

tur : eorum autem minores in cultu diuino Manichæis ferè applaudebant. Duo namque principia statuebant : alterum quidem Bonum, ac optima quæque ex se gignens, quod Hormisdatem, seu Oromazen, vel Oromagdam appellabant, eiúsque corpus luci, animam verò Veritati simillimam esse asserebant: alterum principium Malum, cunctorum aduersorum fontem scaturigenémque, quod Arimanem nuncupabant. Festum etiam ingens, quod Malorum sublationem vocabant, celebrabant, in quo serpentes quamplurimos, & ex aliis animantibus quæcumque desertis in locis degunt interficientes, Magis offerebant in pietatis argumentum. Ea enim ratione credebant se bonam gratámque Hormisdati operam nauasse, ingratam verò Arimani. Colebant præcipuè aquam, adeò vt eâ nec faciem abluerent, néque vllâ ratione nisi potus lauationisque causa attingerent. Ignem summo honore dignum sanctissimúmq existimabant. Quamobrem in ædiculis quibusdam sacris ac abditis Magi eum perpetim asseruabãt, inq; ipsum despicientes arcana sacra peragebant, ac de rebus futuris respondebãt: Turpis etiam funerandi ritus ab hoc Zoroastro manauit. Is enim inter alia impia ac exhorrescenda dogmata illud tradidit, fas esse ac naturæ legibus consentaneum fratrem cum sorore, patrẽ cum filia, auũ cum nepte, & quod sceleratissimum (ô leges! ô naturæ!) filium cum matre commisceri. Præclarè duo

Hermippus lib. 1. de Magis Eudopus in Periodo. Theopompus lib. 8. Philippicorũ.

Sotion lib. 23.

uo Romanæ poëseos lumina ritus hosce ape-
entes, cecinere. Catullus,

Nam Magus ex matre & gnato nascatur opor-
Si vera est Persarum impia relligio. (tet

Lucanus,

——— iuere sorores Lib. 8.
n fratrum thalamos, sacrataq. pignora matrum
Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Oedipodionias infælix fabula Thebas.
Parthorū dominus quotiens sic sanguine mixto
Nascitur Arsacides, cui fas implere parentem;
Quid rear esse nefas?

Hinc ipsa magna parens ac omnium altrix terra, adeo fœda ac exhorrescenda monstra fugiens, eorum cadauera placido sinu recipere (à S. Deo in vindictam extimulata) nulla ratione sustinuit. Quod dedecus ut velo quodam pietatis, Zoroaster velaret, sanctissimum sepeliendi ritum tradidit esse non terræ visceribus includi, aut igne consumi, sed in campis proiectum aut ab aëre, cuius beneficio vitam plurimis seculis sustentaris, dissolui: aut ab auibus, quibus dum viueres sæpè corpus aluisti, dilacerari ac absumi. Hinc omnes Persæ illicò demortui corpus efferebant, ac extra oppidum deportatum, solum ita ac nudum canibus atq; auibus obscænis deuorandum exponebant. Hacq; ratione absumtis carnibus nuda ossa sparsim per campos proiecta putrescebant. Cuicumq; autem cadaueri non statim aues aduolarēt, vel è vestigio id dilacerantes canes accurrerent, illius hominis impuros fuisse mores credebāt, animúmq Agathias lib. 2.

inju-

iniustum & barathro dignum, ac malo dæmoni dicatum. Tum summo luctu amici iacentem lugebant, lamentisque prosequebantur, vt penitus emortuum, neque melioris fati participem. Eum autem qui celerrimè deuoratus fuisset, fœlicissimum prædicabant, eiúsque animum ingenti admiratione prosequebantur vt præstantissimum Deóque simillimum, ac in beatas sedes euolaturum. Promiscua autem & obscurior turba, sicubi in exercitu acuto aliquo morbo premeretur, spirantes etiamnum, & mente constantes educebantur, panisque frustum, aquæ amphora, ac baculus ipsis apponebatur, vt quàm diu cibo vti possent eo non destituerentur, baculóque irruentes feras, dum etiamnum aliquo virium robore pollerent, arcerent, epulonesque propulsarent. At si nondum quidem interiissent, vis tamen morbi superaret, adeò vt manus amplius mouere nequirent, tum miseri semimortui & iam animam agere incipientes crudelissimè deuorabantur, omníque spe dulcissimâ vitali aurâ fruendi priuabantur. Multi etiam cùm conualuissent domum redibant, velut in scæna aut tragœdia ex tenebricosis Orci portis reduces, macilenti ac decolores & obuios terriculantes. Eo autem habitu si quis reueniret, omnes ipsum auersabantur ac fugiebant vt piacularem: & etiamnum inter subterraneos degentem. Neque antea pristinum vitæ institutum colere ei permittebant, priusquam expectata mortis piacu-

lum

lum à Magis expiatum esset, ab iisdémque vita quasi denuò donatus. Mirandus etiam casus, qui philosophis quibusdam è Persia Romam reuenientibus accidit (regnante Chosroë Persarum potentissimo rege) eandem fœdi huius sepeliendi ritus causam aperuit. Quum enim in agro quondam Persico conquiescerent, conspicati sunt cadauer hominis recenter mortui neglectim ita inhumatum abiectum: tum illi barbaricæ legis iniquitatem commiserati, & nequaquam æquum esse censentes si negligerent naturam ex parte iniuriâ affectam, contexerunt vt potuerunt per ministros cadauer, terrâq; contumulantes sepelierunt. Nocte autem subsequente dormientibus omnibus, visus est aliquis eorum, quisnam mehercules ignoro, neque enim nomen noui, visus, inquam, est sibi videre virum senem, minimè quidem notum, sed grauem & venerandum, ac philosophiæ studium tam vestis formâ, quam oblongâ promissâque barbâ præferentem qui sibi inclamabat, tanquam exhortans ac mandans, Agathias lib. 2.

Ne tumulus inhumatum; at nudum linque cadauer

Dilacerare canes, escamque volucribus esse:

Mater enim tellus cunctorum haud suscipit illum

Qui matrem est ausus facto viciare nefando.

Ille autem confestim præ metu expergefactus, somnium suum aliis renunciauit: atq; hi quidem initio dubitabant quonam somnium esset euasurum. Summo itaque mane cùm surrexissent & institutum iter prosequerētur, tran-

ſeuntes illum campum, ſitu locorum ita cogente, in quo ſubitariam ſepulturam procurarant, reperiunt cadauer illud denuò nudum ſuper tumulum iacens, ac ſi indignata terra ſpontaneâ ratione ac ſtomachabunda id euomuiſſet. Cuius ſpectaculi miraculo perculſi iter ſuum proſequuti fuere, nullo amplius ſupremo officio ei præſtito. Somniúmque expendentes, in eam tandem ſententiam venere, Perſas hanc pœnam & vindictam luere ob flagitioſos cum propriis matribus congreſſus. Huius autem Zoroaſtri ſucceſſores, hæc ferè dogmata amplexi fuere. Deos nullâ imagine eſſe exprimendos, eóſque grauiſſimè peccare qui ſexus diſcrimen iis affingunt. Vndè Xerxes omnia Græciæ templa combuſſit, nefarium cenſens deos vel imaginibus exprimi, aut parietum anguſtiis coarceri. Scatere dæmonibus aërem aſſerebant, qui tanquam miaſmata noſtris oculis ſeſe inſinuent. Vtebantur veſte candidâ, lectus ipſis erat humus, cibus olus, panis, ac caſeus, quem arundinei ſcipionis ſummitati infixum ori imponebant. Diuinationum ſummo ſtudio tenebantur vehementérque in iis excellebant. Vndè Parthico ſolio vacante, regináque grauida quidem eſſet, ſed primos etiamnum conceptionis menſes ageret, cùm, inquam, tum à proceribus imperij iuberentur effari marémne an verò fœmellam regina geſtaret: primum vt ſuis reſponſis certior eſſet fides, introductâ equâ partui vicina de eius fœtu pronũtiarunt;

Diogen. Laert. in Proem.

Agathias lib. 4.

tum

tum reginam masculam prolem gestare asseruere. Cui dicto principes imperij fidem adhibentes, cidari reginæ vtero impositâ embryonem regem pronunciarent, nominéque insigniuerunt. Natúsque fuit post menses paucos Sapores cum regno, in eóque & adoleuit, & consenuit ad annos septuaginta vsq; vita producta. Quin & ij Magi qui in comitatu Parthicorum ad Syllam legatorum fuere, ex notis corporis eius respondere celebrem eius vitam & memoriam futuram. Iidem etiam Artaxare rebus humanis exempto, ac Ocho eius filio regni gubernacula arripiente, eunuchis præceperunt vt appositâ mensâ diligenter animaduerterent, quibusnam rebus primum manus nouus rex iniiceret. Illis summo studio Magorum iussa exequentibus, eiúsque manus intentis oculis obseruantibus, Ochus vtrâq; manu protensâ, dextrâ cultrum sinistra ingentem panem arripuit, eumq; carnibus impositum discidit, ac alacriter comedit. Illi è vestigio rem omnem Magis retulere: qui verissimè, testante euentu, respondere, illo regnante fœlicissimam frugum omnium fertilitatem, vberrimam annonæ abundantiam, ac largam cædium copiam futuram.

Velleius Patercul. lib. 3.

Aelian. variæ hist. lib 2. cap. 17. Diodor. Sicul. lib. 17. Biblioth.

De Africana Magia.

Cap. XXIX.

HELIODORVS, *Æthiopicorum libro sexto, Africanam Magiam viuis coloribus delineat, describens necromanticum Ægyptiacæ anus actum his ferè verbis. Occubuerat Ægyptiæ anus filius predo in pugna, alter autem eius filius cum reliquis prædonibus expeditionem cõtra Memphim susceperat. Cupida autem anus sciendi anne & is acerbo fato succumberet, an verò incolumis in patriam remearet, hac ratione è mortuo filio eius rei certitudinem exquirere aggressa est. Primum scrobem fodit, deindè rogum ex vtraque parte incendit, & inter vtrumque medium filij cadauer collocans, ac craterem fictilem ex quodam tripode qui iuxtà adstabat promens, mel fossæ infudit, tum ex alio vase lac, ac diuersa alia ex aliis instar libamenti effudit: denique tostam quandam farinæ massam efformatam ad viri similitudinem, lauro & bdellio coronatam in fossam iniecit. Deinde gladio arrepto, tanquam furiis exagitata multa in Lunam nominibus peregrinis auditu exhorrescendis euomuit: tum brachium incidit, ac lauri ramo sanguine absterso rogum conspersit: innumeráque alia portentosa perpetrauit. Tandem ad filij cadauer inclinata, & quadam illi ad aurem accinens,*

idex-

id excitauit, & repentè præstigiarum vi consistere coëgit, ac percontata est anne frater ipsius superstes ac incolumis esset rediturus? Cadauer autem nihil respondit, sed annuens tantum, ac ei spem quandam desiderati euentus ambiguè præbẽs subito corruit, pronúmque iacuit. Illa excandescens corpus conuertit, supinúmque iacere coëgit: nec quæstionem intermisit, sed omnes præstigiarum neruos intendens, gladiúmque corruscans, & nunc ad fossam, nunc ad rogum transiliens, denuò excitauit, ac erectum ad eandem quæstionem non nutibus, sed clarâ voce respondere coëgit. Tum cadauer tanquam ex tortuoso quodam antro raucam & dissonam quandam vocem effundens in hæc verba prorupit: Ego quidem initio tibi parcebam mater, & te grauiter in naturam delinquentem humanam, Parcarúmque leges violantem, ac ea que manere debent immota, præstigiis atq; incantationibus commouentem, perferebam. Seruatur enim & apud mortuos erga parentes, quo ad fieri potest reuerentia. Cæterùm postquam & hanc tollis, & pergis, haud primitiis scelerata actionis contenta in immensum nefandum hoc facinus producere; nec duntaxat erectum consistere, & nutus dare, veriùm etiam loqui corpus mortuum cogis, sepulturam meam negligens, & à cœtu animarum me abstrahens priuatæ necessitatis causa: iam igitur ea audi, quæ antea tibi reuelare verebar. Filius tuus nec incolumis est reuenturus, nec

ipsa ex hoc loco recessura, repentina namque à gladij violentia mors tibi imminet, ut præmio digno afficiatur flagitiosa tua vita, quam in huiusmodi scelerum flagrantia consumpsisti. Quibus dictis cadauer pronum iacuit. At anus ira æstuans, & velut furore correpta inter cadauera discurrit, donec extantis hastæ fragmento per inguen traiecta exanimis corruit, ac filij vaticinium impleuit.

De Europaæ Magiæ specie prima, Thessalica.

CAP. XXX.

THESSALIA *omni æuo fama facinoribúsque Magiæ claruit, Medeæ Osthanisque doctrinæ facibus illustrata. Luculenter Apuleius in libris De asino aureo execranda eius flagitia describit. Et Lucanus libro sexto natiuum Thessalicæ Magiæ characterem venustissimis hisce delineat coloribus carminum, in quibus nihil præter* **carmina desideres:*

* nimirùm magica.

Thessalia quin etiam tellus herbasq. nocenteis
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canenteis
Arcanum ferale magos. ibi plurima surgunt
Vim factura Deis, & terris hospita Colchis
Legit in Æmoniis, quas non aduexerat, herbas.
Impia tot populis, tot surdas gentibus aureis
Cœlicolûm, diræ conuertunt carmina gentis.
Vna per æthereos exit vox illa recessus,
Verbaque ad inuitum perfert cogentia Numen.
Quod non cura poli, cælique volubilis vnquam
Aduocat,

Aduocat, infandum tetigit cùm sidera murmur.
Tunc Babylon Persea licet, secretaq. Memphis
Omne vetustorum soluat penetrale Magorum:
Abducit Superos alienis Thessalis aris.
Carmine Thessalidũ dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor: flamisque seueri
Illicitis arsere senes. nec noxia tantum
Pocula proficiunt, aut cùm turgentia succo
Frontis amaturæ subducunt pignora fœtæ,
Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. quos non concordia misti
Alligat vlla tori, blandæque potentia formæ:
Traxerunt torti magica vertigine fili.
Cessauere vices rerum, dilataque longa
Hæsit nocte dies: legi non paruit æther.
Torpuit & præceps audito carmine mundus:
Axibus & rapidis impulsos Iupiter vrgens
Miratur non ire polos. nunc omnia complent
Imbribus, & calido producunt nubila Phœbo,
Et tonat ignaro cælum Ioue. vocibus iisdem
Humentes latè nebulas, nimbosque solutis
Excussêre comis. ventis cessantibus, æquor
Intumuit: rursus vetitum sentire procellas
Conticuit turbante Noto, puppimque ferentes
In ventum tumuere sinus, de rupe pependit
Abscissa fixus torrens, amnisque cucurrit,
Non quà pronus erat. Nilum non extulit æstas,
Mæander direxit aquas, Rhodanumq. morátem
Præcipitauit Arar. summisso vertice montes
Explicuêre iugum, nubes suspexit Olympus,
Solibus & nullis Scythicæ, cum bruma rigeret,
Dimaduêre niues: impulsam sidere Tethyn
Reppulit Æmonidum, defenso litore, carmen.
Terra quoque immoti concussit ponderis axem,
Et medium vergens titubauit visus in orbem.
Tantæ molis onus percussum voce recessit,
Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal lethi, genitumq. nocere,

Et pauet Æmonias, & mortibus instruit arteis.
Has auidæ tigres, & nobilis ira leonum
Ore fouent blando: gelidos his explicat orbeis,
Inque pruinoso coluber distenditur aruo.
Viperei coëunt, abrupto corpore nodi,
Humanoque cadit serpens afflata veneno.
Quis labor hic Superis cantus herbasque, sequendi,
Spernendique timor? cuius commercia pacti
Obstrictos habuêre Deos? parêre necesse est?
An iuuat? ignota tantum pietate merentur?
An tacitis valuêre minis? hoc iuris in omneis
Est illis superos? an habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum: qui mundum cogere, quidquid
Cogitur, ipse potest? illis & sidera primum
Præcipiti deducta polo, Phœbeque serena
Non aliter diris verborum obsessa venenis
Palluit, & nigris, terrenisque ignibus arsit,
Quam si fraterna prohiberet imagine tellus,
Insereretque suas flammis cælestibus vmbras:
Et patitur tauros cantu depressa labores,
Donec suppositas propior despumet in herbas,
Addidit exceptas Lunæ de nocte pruinas.
Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis
Effera damnarat nimiæ pietatis Erichtho,
Inque nouos ritus pollutam duxerat artem,
Illi namque nefas, vrbis summittere tecto,
Aut Laribus ferale caput, desertaque busta
Incolit, & tumulos expulsis obtinet Vmbris.
Grata Deis Erebi cœtus audire silentum.
Nosce domos Stygias, arcanaque Ditis operti
Non Superi, non vita vetat. tenet ora profani
Fœda situ macies, cæloque ignota sereno.
Terribilis Stygio facies pallore grauatur,
Impexis onerata comis. si nimbus, & atræ
Sidera subducunt nubes: tunc Thessala nudis
Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat.
Semina

Semina fecundæ segetis calcata perussit,
Et non lethiferas spirando perdidit auras.
Nec Superos orat: nec cantu supplice Numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litantis
Nouit: funereas aris imponere flammas
Gaudet, & accenso rapuit quæ thura sepulcro.
Omne nefas Superi prima iam voce precantis
Concedunt, carmenq. timent audire secundum.
Viuenteis animas, & adhuc sua membra regenteis
Infodit busto: fatis debentibus annos
Mors inuita subit: peruersa funera pompa
Retulit à tumulis; fugere cadauera lethum.
Fumanteis iuuenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque parentes
Quam tenuere facem, nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, vesteisque fluenteis
Colligit in cineres, & olenteis membra fauillas.
Ast vbi seruantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, & tracta durescunt tabe medullæ
Corpora: tunc omneis auidè desæuit in artus.
Immersitque manus oculis, gaudetque gelatos
Effodisse orbeis, & siccæ pallida rodit
Excrementa manus. laqueum nodosq. nocenteis
Ore suo rupit, pendentia corpora carpsit,
Abrasitque cruces, percussaque viscera nimbis
Vulsit, & incoctas admisso Sole medullas.
Incertum manibus chalybé, nigramq. per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit, & neruo morsus retinente pependit.
Et quodcumque iacet nudâ tellure cadauer,
Ante feras, volucreisque sedet: nec carpere membra
Vult ferro, manibusq. suis, morsusque luporum
Expectat siccis raptura è faucibus artus.
Nec cessant à cæde manus, si sanguine viuo
Est opus, erumpat iugulo qui primus aperto.

Nec refugit cædes, viuum si sacra cruorem,
Extaque funereæ poscunt trepidantia mensæ.
Vulnere si ventris, non qua Natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
Et quoties sæuis opus est, ac fortibus Vmbris,
Ipsa facit Maneis : hominum mors omnis in vsu est.
Illa genæ florem primæuo corpore vulsit:
Illa comam læua morienti abscidit ephebo.
Sæpè etiam caris cognato in funere dira
Thessalis incubuit membris, atq. oscula figens,
Truncauitque caput. compressaq. dentibus ora
Laxauit, siccoque herentem gutture linguam
Præmordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanumq. nefas Stygias mandauit ad Vmbras.
Hanc vt fama loci Pompeio prodidit, alta
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub nostrâ tellure diem: deserta per arua
Carpit iter. fidi scelerum, suetique ministri
Effractos circum tumulos, ac busta vagati
Conspexêre procul prærupta in caute sedentem:
Quà iuga deuexus Pharsalica porrigit Æmus.
Illa magis, magicisque Deis incognita verba
Tentabat, carmenque nouos fingebat in vsus.
Namq.timés,ne Mars alius vagus iret in orbem,
Emathus & tellus tam multa cæde careret;
Pollutos cantu, dirisque venefica succi,
Conspersos vetuit transmittere bella Philippos,
Tot mortes habitura suas, vsuraque Mundi
Sanguine, cæsorum truncare cadauera Regum
Sperat, & Hesperiæ cineres auertere gentis ,
Ossaque nobilium, tantosq.acquirere Maneis.
Hic ardor solusque labor, quid corpore Magni
Proiecto rapiat, quos Cæsaris inuolet artus.
Quam prior affatur Pompeij ignaua progago.
O decus Æmonidû populis quæ pandere fata,
Quæque suo ventura potes diuertere cursu.
Te precor, vt certum liceat mihi noscere finem,
Quem

Quem belli Fortuna paret. non vltima turbæ
Pars ego Romanæ, Magni clarissima proles,
Vel dominus rerum, vel tanti funeris heres.
Mens dubiis perculsa pauet, rursusque parata est
Certos ferre metus. hoc casibus eripe iuris,
Ne subiti, cæcique ruant: vel Numina torque,
Vel tu parce Deis, & Manibus exprime verum.
Elysias resera sedes, ipsamque vocatam,
Quos petat è nobis, Mortem tibi coge fateri.
Non humilis labor est: dignum est quod quærere cures,
Vel tibi, quò tanti præponderet alea fati.
Impia lætatur vulgatæ nomine famæ
Thessalis, & contra, si fata minora moueres,
Pronum erat, ô iuuenis, quos velles, inquit in actus
Inuitos præbere Deos. conceditur arti,
Vnam cum radiis presserunt sidera mortem,
Inseruisse moras, &, quamuis fecerit omnis
Stella senẽ, medios herbis abrumpimus annos.
At simul à prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant,
Si quidquam mutare velis, vnoque sub ictu
Stat genus humanum; tunc, Thessala turba fatemur.
Plus fortuna potest. sed si prænoscere casus
Contentus: facilesq. aditus, multique patebunt
Ad verum: tellus nobis, ætherque, Chaosque,
Æquoraq. & campi, Rhodopeaq. saxa loquẽtur.
Sed pronum, cùm tanta nouæ sit copia mortis,
Emathiis vnum campis attollere corpus,
Vt modò defuncti, tepidique cadaueris ora
Plenâ voce sonent. ne membris Sole perustis
Auribus incertum feralis strideat vmbra.
Dixerat, & noctis geminatis arte tenebris,
Mæstum tecta caput squalenti nube, pererrat
Corpora cæsorum, tumulis proiecta negatis,
Continuo fugere lupi, fugere reuulsis
Vnguibus impastæ volucres, dum Thessala vatem
Eligit & gelidas letho scrutata medullas

Pulmo-

Pulmonis rigidi ſtanteis ſine vulnere fibras
Inuenit & vocem defuncto in corpore quærit.
Fata peremptorum pendent iam multa virorum
Quem ſuperis reuocaſſe velit. ſi tollere totas
Tentaſſet campis acies, & reddere bello:
Ceſſiſſent leges Erebi, monſtroque potenti
Extractus Stygio populus pugnaſſet Auerno.
Electum tandem traiecto gutture corpus
Ducit, & incuruo laqueis feralibus vnco,
Per ſcopulos miſerum trahitur, per ſaxa cadauer
Victurum, montiſq. caui, quem triſtis Erichtho
Damnarat ſacris, alta ſub rupe locatur.
Haud procul à Ditis cæcis depreſſa cauernis
In præceps ſubſedit humus: quam pallida pronis
Vrget ſilua comis, & nullo vertice cælum
Suſpiciens, Phœbo non peruia taxus opacat.
Marcentes intus tenebræ, pallenſque ſub antris
Longa nocte ſitus: nunquã niſi carmine factum,
Lumen habet. non Tænareis ſic faucibus aër
Sedit iners, mœſtum mundi confine latentis,
Ac noſtri: quo non metuunt emittere Maneis
Tartarei Reges. nam quamuis Theſſala vates
Vim faciat fatis, dubium eſt quod traxerit illuc,
Aſpiciat Stygias, an quod deſcenderit, Vmbras.
Diſcolor, & vario Furialis cultus amictu
Induitur, vultuſque aperitur crine remoto,
Et coma vipereis ſubſtringitur horrida ſertis.
Vt pauidos iuuenis comites, ipſumq. trementem
Conſpicit exanimi defixum lumina vultu:
Ponite, ait trepida conceptos mente timores:
Iam noua: iam vera reddetur vita figura,
Vt quamuis pauidi poſſint audire loquentem.
Si verò Stygioſque lacus, ripamque ſonantem
Ignibus oſtendam: ſi me præſente videri
Eumenides poſſunt, villoſaque colla colubris
Cerberus excutiens, & vincti terga Gigantes:
Quis timor ignaui metuenteis cernere Maneis?
Pectora tunc primùm feruẽti ſanguine ſupplet
Vulneri-

Vulneribus laxata nouis, taboque medullas
Abluit, & virus: largè Lunare ministrat.
Hu: quidquid fœtu genuit Natura sinistro (est,
Miscebitur. non spuma canũ, quibus vnda timori
Viscera non lyncis, non duræ nodus hyenæ
Defuit, & cerui pasti serpente medulla:
Non puppim retinens, Euro tendente rudenteis,
In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quæque sonant fæta tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Æquoribus custos prætiosæ vipera conchæ.
Aut niuentis adhuc Lybicæ membrana cerastæ,
Aut cinis Eoa positi Phœnicis in ara.
Quò postquam vileis, & habéteis nomina pesteis
Contulit: infando saturatas carmine frondeis,
Et, quibus os dirum nascentibus inspuit, herbas
Addidit, & quidquid mundo dedit ipsa veneni.
Tunc vox Lethæos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confudit murmura primùm
Dissona, & humanæ multum discordia linguæ.
Latratus habet illa canũ, gemitusque luporum.
Quod trepidus Bubo, quod strix nocturna quæruntur,
Quod stridét, vlulantq. feræ, quod sibilat anguis
Exprimit, & planctus illisæ cautibus vndæ,
Siluarumque sonum, fractæque tonitrua nubis.
Tot rerum vox vna fuit, mox cætera cantu
Explicat Æmonio, penetratq. in Tartara linguâ.
Eumenides, Stygiumque nefas, pœnæque nocentum,
Et Chaos innumeros auidũ cõfundere mundos.
Et Rector terræ, quem longa in sæcula torquet
Mors dilata Deum, Styx, & quos nulla meretur
Thessalis E'ysios, cœlum, matremque perosa
Persephone, nostræque Hecates pars vltima, perquam
Manibus & mihi sunt tacitæ cõmercia linguæ,
Ianitor & sedis laxæ, qui viscera sæuo

Spargis

Spargis nostra cani, repetitáque fila sorores
Fracturæ. tuque ô flagrantis portitor vndæ
Iam lassate senex, ad me redeuntibus Vmbris,
Exaudite preces: si vos satis ore nefando,
Pollutóque voco; si nunquã hæc carmina fibris
Humanis ieiuna cano: si pectora plena
Sæpe dedi, & laui calido profecta cerebro.
Si quis, qui vestris caput, extáq; lancibus infans
Imposuit, victurus erat, parete precanti:
Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
Assuetámque diu tenebris modò luce fugata
Descendentem animam. primo pollentis hiatu
Hæret adhuc Orci: licet his exaudiat herbas
Ad Maneis ventura semel: Ducis omnia gnato
Pompeiana canat nostri modo militis Vmbra,
Si bene de vobis ciuilia bella merentur.
Hæc vbi fata: caput, spumantiáq; ora leuauit
Adspicit adstantem proiecti corporis Vmbram,
Exanimes artus, inuisáque claustra timentem
Carceris antiqui. pauet ire in pectus apertum,
Viscerásque, & ruptas lethali vulnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus iniquæ
Eripitur, non posse mori, miratur Erichtho
Has fatis licuisse moras; iratáqne morti
Verberat inmotum viuo serpente cadauer,
Perque cauas terræ quas egit carmine rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.
Tisiphone, vocísque meæ secura Megæra,
Non agitis sæuis Erebi; per inane flagellis
Infelicem animam? iam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiásque canes in luce superna
Destituam: per busta sequar, per funera, custos
Expellam tumulis, abigam vos omnibus vrnis,
Téque Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma
Ostendam: faciémque Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te
Contineãt, Enneæa, dapes; quo fœdere mœstum
Regem

Regem noctis ames: quæ te contagia passam
Noluerit reuocare Ceres. tibi pessime mundi
Arbiter immittam ruptis Titana cauernis,
Et subito feriere die. paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non excussa tremit. qui Gorgona cernit apertã,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnym,
Indespecta tenet vobis qui Tartara: cuius
Vos estis superi, Stygias qui peiurat vndas?
Protinus adstrictus caluit cruor, atraq. fouit
Vulnera, & in venas, extremaq. mẽbra cucurrit,
Percusso gelidæ trepidant sub pectore fibræ,
Et noua desuetis subrepens vita medullis,
Miscetur morti. tunc omnis palpitat artus:
Tenduntur nerui: nec se tellure cadauer
Paulatim per mẽbra leuat, terraq. repulsum est,
Erectumque semel. distento lumina rictu
Nudantur, non dum facies viuentis in illo,
Iam morientis erat. remanet pallorq. rigorque,
Et stupet illatus mundo: sed murmure nullo,
Ora adstricta sonãt. vox illi linguáque tantum
Responsura datur. dic, inquit Thessala, magna
Quod iubeo mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi præstabimus æuo
Artibus Æmoniis: tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine siluis,
Vt nullos cantata magos exaudiat Vmbra.
Sit tanti vixisse iterum: nec verba nec herbæ
Audebunt longæ somnum tibi soluere Lethes,
A me morte data tripodas vatésque Deorum
Sors obscura tenet. certus discedit, ab Vmbris
Quisquis vera petit, duræque oracula mortis
Fortis adit. ne parce precor: da nomina rebus,
Da loca, da vocem, qua mecum fata loquantur.
Addidit & carmẽ, quo, quidquid cõsulit Vm-
Scire dedit mœstũ fletu manãte cadauer, (bram,
Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Respexi, tacitæ reuocatus ab aggere ripæ,
Quod

Quod tamen è cunctis mihi noscere contigit
Vmbris.
Effera Romanos agitat discordia Maneis,
Impiaque infernam ruperunt arma quietem.
Elysias alii sedes, ac Tartara mæsta
Diuersi liquere Duces: quid fata pararent,
Hi fecere palam. tristis felicibus Vmbris
Vultus erat. vidi Decios, gnatumq. patremque,
Lustraleis bellis animas, flentemque Camillum,
Et Curios, Syllam de te Fortuna quærentem,
Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem: maior Carthaginis hostis,
Non seruituri mœret Cato fata nepotis.
Solum te Consul depulsis prime tyrannis
Brute pias inter gaudentem vidimus Vmbras.
Abruptis Catilina minax, fractisque catenis
Exsultat, Mariique truces, nudique Cethegi.
Vidi ego lætanteis popularia nomina Drusos,
Legibus im nodicos ausosq. ingentia Graccos.
Æternis Chalybum nodis, & carcere Ditis
Constrictæ plausere manus: camposque piorum
Poscit turba nocens. regni possessor inertis
Pallenteis aperit sedes, abruptaque saxa
Asperat, & durum vinclis adamanta, paratque
Pœnam victori. refer hæc solatia tecum
O iuuenis, placido Maneis, patremq. domumq.
Expectare sinu, regnique in parte serena
Pompeio seruare locum: nec gloria paruæ
Sollicet vitæ. veniet quæ misceat omneis
Hora Duces, properate mori, magnoq. superbi
Quamuis è paruis animo descendite bustis,
Et Romanorum Maneis calcate Deorum.
Quem tumulum Nili, quem Thybridis abluat
vnda,
Quæritur & Ducibus tantũ de funere pugna est.
Tu fatum ne quære tuum cognoscere: Parcæ,
Me reticente dabunt: tibi certior omnia vates
Ipse canet Siculis genitor Pompeius in armis.
Ille

Ille quoq. incertus quò te vocet, vndè repellat,
Quas iubeat vitare plagas, quæ sidera mundi.
Europam miseri, Libyamq. Asiámque timere;
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.
O miseranda domus, toto nil orbe videbis
Tutius Emathia. sic postquam fata peregit,
Stat vultu mœstus tacito, mortémque reposcit.
Carminibus Magicis opus est, herbisq. cadauer.
Vt cadat, & nequeunt animam sibi reddere fata
Consumpto iam iure semel. tum robore multo
Extruit illa rogum: vadit defunctus ad igneis.
Accensa iuuenem, positũ strue linquit Erichtho,
Tandem passa mori: Sextóq. ad castra parentis
It comes: & cælo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intra tentoria gressus,
Iussa tenere diem densas nox præstitit vmbras.

De Europææ Magiæ specie Secunda, Hetrusca.

Cap. XXXI.

De Thessalica impurissima Magia egimus, iam ad sinceriorem Hetruscam nos conuertimus. Hetrusci primi Aruspicinam id est diuinationẽ ex horarũ pecudúmque extorum inspectione inuenerunt; & auguria, idest prædictiones ex auium volatibus vocibúsque excoluerunt. Id innuens præclarè scribit Cicero: Hetrusci quod religione imbuti studiosius & crebrius immolabant, extorum cognitioni se maximè dediderunt; quódq. propter aëris crassitudinem de cælo apud eos multa fiebant, & quod ob eam cau- Lib. 1. De Diuinat.

ſam multa inuſitata partim ex cælo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum pecudúmue conceptu, & ſatu; oſtentorum exercitatiſſimi interpretes extiterunt. Quorum quidem vim, vt tu ſoles dicere, verba ipſa prudenter à maioribus poſita declarant. Quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt; oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur. Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quod paſtu pecudum maximè vtantur, campos & montes, hyeme & æſtate peragrantes, propterea facilius cantus auium, & volatus notauerunt. Eademque & Piſidiæ cauſa fuit, & huic noſtræ Vmbriæ. Tum Caria tota, præcipueque Telmeſſes, quod agros vberrimos maximeque fertiles incolant, in quibus multa propter fœcunditatem fingi, gignique poſſunt, in oſtentis animaduertendis diligentes fuerunt. *Aëromantiam etiam & Pyromantiam hos excoluiſſe Lucretius indicat, canens:*

Hoc eſt igniferi naturam fulminis ipſam
Perſpicere, & quâ vi faciat rem quamque videre:
Non Tyrrhena retrò voluētem carmina fruſtra
Iudicia occultæ diuum perquirere mentis.
Vnde volans ignis peruenerit, aut in vtram ſe
Verterit hic partem, quo pacto per loca ſepta,
Inſinuarit: & hinc dominatus vt extulerit ſe.
Quídue nocere queat de cælo fulminis ictus.

Lib. 6. Rer. Antiquar. cap. 9. *Et Diodorus Siculus inquiens:* Tyrrheni literis quoque & rerum naturalium inueſtigationi,

tioni, ac Theologiæ plurimo tempore impenso, præ cæteris in fulminum interpretatione versati sunt: adeò vt nostrâ quoque ætate vniuersus fermè orbis tum admiretur viros, tum fulgurum interpretibus vtatur. *Vtebantur in Aruspicina præcipuè, capris, & hircis. Priorem ritum innuit Eusebius dicens:* Perierunt Ægyptiorum penetralia: tenebris tradita est Necromantia Tyrrhenorum, capræ simul cum istis ad diuinationem præparatæ, & corui hominibus oracula reddentes auolarunt. *Posteriorem morem aperit Martialis scribens:*

Lib. 2. De Præparat. Euangelic. cap. 5.

Lib. 5 Epigram. 71.

Vite nocens rosâ stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.
Quem Tuscus mactare Deo cũ vellet haruspex,
Dixerat agresti fortè rudique viro,
Vt citò testiculos peracutâ falce secaret,
Teter vt immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus,
Dum resecat cultro colla, premitq. manu,
Ingens iratis apparuit hernia sacris,
Occupat hanc ferro rusticus, atque secat:
Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
Talibus & fibris numina prisca coli.
Sic modò qui Tuscus fueras, nũc gallus aruspex,
Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.

Tradidit fabularum fertilis antiquitas, Tagen quendam terrigenam primum aruspicinam Hetruscis tradidisse. Rustico namque arante, ipsum puerili facie praditum è gleba exiliisse: tum agricolam rei nouitate perculsum maximâ voce exclamasse, ilicóque perterritos bubul-

Isidor. Orig. lib. 8. cap 9.

eos magnâ frequentiâ accurrisse; tum Tagem Aruspicinæ præcepta dictasse, eáque à multitudine excepta fuisse. Perenni calamo id fixit Ouidius:

15. Meta. ——— Amazone natus
Haud aliter stupuit, quàm cùm Tyrhenus arator
Fatalem glebam motis adspexit in aruis,
Spontè sua primum, nulloque agitante moueri:
Sumere mox hominis, terræq. amittere, formam
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen: qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Sanè si veritatem consulamus, ei omninò consentaneum esse deprehendemus, hunc fuisse apud Hetruscos virum Magiæ peritissimum, eúmque primum libris editis Aruspicinam præclarè excoluisse. Ammianus enim Marcellinus Tagetis libros citat, in quibus prodigiorum & portentorum interpretationes comprehenduntur. & Fulgentius testatur Labeonem Antistium, qui in iure Pontificio, & omni doctrina excellebat, libros Tagetis exposuisse, eiúsque dogmata quindecim voluminibus explicasse. Hanc Tagetis doctrinam cotidianâ experientiâ exculti, ipsi postea auctiorem reddiderunt. Ita obseruarunt ex oue fœlicitatem portendi, præsertim si insolito colore natiuo prædita esset. Quod inculcat Virgilius, noui sæculi extollens his versibus fœlicitatem: Eclog. 4

Nec varios discit mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandix pascenteis vestiet agnos.

Et illud

Et illud perenni vsu edocti fuere, in cuius grege purpurei aureiue coloris ouis nata fuisset, illi fœlicitatem, opes, honoréſque ſummos portendi. Quam ob cauſam nata inter Thyeſtis greges aurea agna, principium diſcordiarum inter ipſum & Atreum fratrem fuit, altero alterius fœlicitatis inuidia exulcerato. Vnde illa à Cicerone ex antiqua Tragœdia Atreo citantur: Pauſanias. Plato.

Addo huc, quod mihi portento cælestum pater Lib. De Natur. Deor.
Prodigium miſit regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aureâ clarum comâ.

Ita & duodecim purpureæ oues primo Diadumeni natali in agris patris ſui natæ, ipſi imperium prænuntiauere. Plinius etiam ritum hunc cotidianos caſus obſeruandi haud obſcurè ſignificans, inquit: Factum eſt ſemel, quod in Hetruſcæ diſciplinæ voluminibus inueni, ingens terrarum portentum, L. Martio. Sex. Iulio Coſſ. in agro Mutinenſi. Namque montes duo inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes recedẽteſque, inter eos flammâ fumoq. in cœlum exeunte interdiu. *Vt autem in clarâ luce cernatur quanta fuerit horum in auguriis & Aruſpicina excellentia, lucidiſſimas aliquot priſcarum hiſtoriarum faces proponemus.*

Tarquinius Superbus Capitolium ex decimis Sueſſanæ prædæ perficere cogitans, omnis generis artifices operi adhibuit. Cúmque iam fundamenta operâ foſſorum ad magnam pro- Dionyſ. Halicarnaſſ. Lib. 4.

funditatem perducta essent, inuentum fuit caput humanum roseo calidóque sanguine manans. Tarquinius tanto miraculo attonitus fossionem intermitti iussit, vatibúsque vocatis percontatus est quid sibi vellet hoc prodigium. Illi rei nouitatem admirantes, ad Hetruscos, eiusmodi rerum explicatores regem, ablegarunt. qui ex ipsis quæsiuit, quisnam Hetruscorum maximè prodigiorum interpretatione splenderet. Quod cùm percepisset, ad eum legatos misit ciuium lectissimos: quibus, ad eius domum venientibus, fortè pro foribus quidam adolescens obuius factus fuit, quem rogauere vt se Romanos legatos vatem conuenire cupientes, ad ipsum deduceret. Ille, pater, inquit, meus est quem quæritis, nunc aliquantulum occupatus, mox eius alloquio frui poteritis: interim agedum sodes mihi causam aduentus commemorate, ita eueniet vt à me premoniti caueatis, nequid in rogando imperitiâ peccetis; nostræ namque artis haud postrema pars recta est interrogatio. Placuit id legatis eiq́; prodigium narrarunt. Ille, breui silentio interposito, audite, inquit, Romani. Prodigium hoc pater meus interpretabitur remotis colorum fucis. At quomodo ad interrogata directè sine mendacij circuitione respondendum sit, id namque vos tangit, ex me discite. Pater meus post commemoratum prodigium dicens se non satis percipere quid dicatis, baculo certum terræ spatium circumscribet, inquiens: hic est

hic est Tarpeius tumulus, hæc orientalis eius pars, hæc occidentalis, illa septentrionalis, at ista opposita, singulas baculo ostendens. Sciscitabitur deinde in quanam harum partium caput inuentum sit? Tunc quid respondebitis? In nullo, inquam, eorum locorum quos baculo demonstrat, caput inuentum referetis, sed Romæ apud vos in Tarpeio tumulo. Hæc si diligenter obseruaueritis, nec ab ipso rectæ responsionis clauus vobis extortus fuerit, sentiens se fatorum reuelandorum ineuitabili necessitate vrgeri, sine circumductione prodigium explicabit. His perceptis, legati ad iam otiosum vatem introducti prodigium exposuerunt. Illo verò in terra circulos delineante, aliásque per eos rectas lineas describente, ac subdolè per singula spatia de capitis inuentione rogante, ipsi nihil perturbati perpetim eandem responsionem iterabant, pro vt ab ipsius filio præmoniti erant, subinde Romam & Tarpeium tumulum nominantes; obnixéque flagitarunt ne eas sibi vsurpare vellet fallacias, sed omnia rotundè explicare. Tum vates veritatem aperire coactus, ita loquutus est Referte Romani vestris ciuibus in fatis esse, vt is locus in quo hoc repertum est caput, caput totius Italiæ euadat. Háncque ob causam locus is, ob capitis inuentionem, Capitolium nuncupatus est.

Demaratus Corinthius, ex Bacchidarum genere, negotiationis gratia nauigauit in Italiam, proprio sumptu instructa & mercibus Dionys. Halicar. lib. 5.

onerata naui: quas maximo cum lucro eum in Hetruſcis vrbibus, totius tunc Italiæ florentiſſimis, vendidiſſet, nullos poſtea alios portus petere voluit, ſed eadem hæc loca perpetuò frequentans, mercaturámque lucroſiſſimam exercens ingẽtes indè diuitias corraſit. Orta deinde inter Corinthios ſeditione, & Cypſeli tyrannide Bacchiadis oppreſſis, Demaratus prædiues ac principe familia oriundus, periculi plenum vitæ genus in patria ſibi paratum cernens, celerrimè omni ſupellectile ſublata ac nauibus impoſita Corintho abiit. Cúmque ob continua commercia plurimos arctiſſima familiaritate ſibi deuinctos in Hetruria haberet, præſertim Tarquiniis, ibidem domicilium ſibi elegit, nobiliſſimámq. heroinam coniugio ſibi copulauit. Ex qua duobus ſuſceptis filiis Hetruſca nomina indidit, alteri, Aruntis, Lucunomis *alteri. Vtrumque educauit & inſtituit liberaliter, Græciſque & Hetruſcis diſciplinis rigauit: ac vbi in virile robur adoleuiſſent, ſummo loco natas ipſis vxores coniunxit. Nec diu poſt eorum alter homo eſſe deſiit, quem mox Demaratus pater acerbi fati morſu exulceratus ſequutus eſt, Lucumone ex aſſe herede relicto. Qui tam luculentum patrimonium adeptus, ſummum ſe inter Reipublicæ gubernatores locum obtenturum arbitratus eſt. Verùm longè aliter res cecidit. Vndique enim excluſus, ne quidem inter centinatores locum occupare potuit. Quam contumeliam grauiſſimè ferens,*

& ex

& ex rumore percipiens, Romam omnibus exteris patere, ciuitatis iure eos donare, ac amplissimis pro cuiúsque merito honoribus ornare, eò cum tota familia profectus est. Vt verò ad Ianiculum peruenit, quo loco venientibus ex Hetruria fertilis sese vrbis offert conspectus; ecce aquila repentè ex summo æthere demissa pileum ipsius abstulit: rectáque supra carpentum in altum se efferens, ac nubibus se immergens, adeò vt visui se subtraheret, subitario casu rursum decidit, pileúmque eius capiti reddidit. Tum omnibus tanti prodigij miraculo obstupescentibus, vxor ipsius Tanaquil, meditullitùs Hetruscæ disciplinæ succis madefacta, ipsum seorsim abductum complexa est, bonámque spem fouere iussit, à priuata namque fortuna ad regiæ potestatis culmen eum peruenturum asserens. Monuit tamen omnibus ingenij neruis anniteretur vt volentibus Romanis principatum assumeret. támque eximio honore dignum se præberet. Ille cælesti prodigio lætus, inuocatis Diuis ratum vt auspicium facerent, vrbem ingressus est. Deinde ad Marci regis colloquium admissus quisnam esset indicauit, séque eo habitatum venisse maximis cum diuitiis dixit, quas priuati hominis fortunam excedentes lubenter se Regis Reipublicæque caussa expensurum. Rex beneuole eum excepit, ciuitatísque iure donauit. Ille autem animaduertens bina Romanos nomina vsurpare, pro Lucumonis Lucij, & gentile Tarquinij sibi adsciuit.

sciuit. In Regis etiam amicitiam se insinuauit oportunâ munificentiâ, subinde in bellicos sumptus ei pecunias suggerens, tum & militari virtute, ac consiliorum prudentia, qua omnes multis superabat parasangis. Populi etiam beneuolentiam appellando comitérque salutando sibi conciliauit. Quamobrem Marcio defuncto omnium calculis principatu dignissimus iudicatus est; eúmque omnibus applaudentibus adeptus est.

Cippi historiā hac verborū cedriâ tinxit Ouid.

15. Metamorph.

Vt sua fluminea cùm vidit Cippus in vnda
Cornua: vidit enim: falsamq. in imagine credens
Esse fidem, digitis ad frontem sæpe relatis
Quæ vidit, tetigit: nec iam sua lumina damnans
Restitit, vt victor domito veniebat ab hoste.
Ad cælumque oculos & eodem cornua tollens,
Quicquid, ait, superi monstro portenditur isto,
Seu lætum est aliquid patriæ, populoq. Quirinis
Siue minax mihi sit: viridique è cespite factas
Placat odoratis herbosas ignibus aras:
Vinaque dat pateris: mactatarumque bidentum
Quid sibi significent trepidantia consulit exta.
Quæ simul adspexit Tyrrhenæ gentis aruspex,
Magna quidem rerum molimina vidit in illis:
Non manifesta tamen. cùm verò sustulit acre
A pecudis fibris ad Cippi cornua lumen;
Rex, ait, ô salue, tibi enim, tibi Cippe, tuisque
Hic locus, & Latiæ parebunt cornibus arces:
Tu modo rūpe moras: portasq intrare patentes
Adpropera: sic fata iubent. namq. vrbe receptus
Rex eris: & sceptro tutus potiere perenni.
Rettulit ille pedem: toruamq. à mœnibus vrbis
Auertens faciem, Procul ô procul omnia, dixit,
Talia Dii pellant; multoque ego iustius æuum
Exul agam; quàm me videant Capitolia regem.

Dixit:

Dixit: & extéplò populumq̃ grauemq̃. senatum
Conuocat. ante tamē capitis noua cornua frōde
Velat: & aggeribus factis à milite forti
Insistit: priscosque Deos de more precatus;
Est, ait, hic vnus, quem vos nisi pellitis vrbe,
Rex erit: is qui sit, signo, non nomine dicam.
Cornua fronte gerit: quem vobis indicat augur,
Si Romam intrarit, famularia iura daturum:
Ille quidem potuit portas irrumpere apertas:
Sed nos obstitimus: quamuis coniunctior illo
Nemo mihi est: vos vrbe virū prohibete Quirites.
Vel, si dignus erit, grauibus vincite catenis:
Aut finite metum fatalis morte tyranni.
Qualia succinctus vbi trux insibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt: aut qualia fluctus
Æquorei faciunt, si quis procul audiat illos:
Tale sonat populus: sed per confusa frementis
Verba tamen vulgi vox eminet vna, Quis ille est?
Et spectant frontes: prædictaq. cornua quærunt.
Rursus ad hos Cippus, Quem poscitis, inquit, habetis.
Et demptâ capiti, populo prohibente, coronâ,
Exhibuit gemino præsignia tempora cornu.
Demisere oculos omnes, gemitumque dedere:
Atque illud meritis clarum (quis credere possit?)
Inuiti videre caput: nec honore carere
Vlterius passi, festam imposuere coronam.
At proceres, quoniam muros intrare vetaris;
Ruris honorati tantum tibi Cippe dedere,
Quantum depresso subiectis bobus aratro
Complecti posses ad finem lucis ab ortu.
Cornuaque auratis miram referentia formam
Postibus insculpunt, longū mansura per æuum.

Statua Romæ in comitio posita Horatij Coclitis fortissimi viri de cælo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum aruspices ex Hetruria acciti, Verrius Flaccus Lib. 1. Rer memorabil.

citi, inimico atq; hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis religionibus procurare: atq; illam statuam suaserunt in inferiorum locum perperam transponi, quem Sol oppositu circum vndique aliarum ædium nunquam illustraret. Quod cùm ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt. Cúmque de perfidia confessi essent necati sunt. Constituitque populus eam statuam (perinde vt vera post compertæ rationes mouebant) in locum æditum subducendam; atq; in area Vulcani sublimiori loco statuendam. Eáq. res benè & prosperè Reipublicæ cessit. Tunc quòd in Hetruscos aruspices malè consulentes animaduersum vindicatúmque fuerat, versus hic scitè factus cantatúsque esse à pueris totâ vrbe fertur;

Malum consilium consultori pessimum.

Leonic. Thom. lib. 2. Var. Hist. cap. 32.

Cornelio Sylla (qui postea Fœlix cognominatus est) Consule, ferunt, cùm è sereno sudóque æthere stridulus tubarum clangor, flebilisque vocis sonus auditus esset, ac omnes passim ingenti terrore consternasset, Hetruscos aruspices ea de re consultos respondisse, ostentum illud sæculi prioris finem, sequentisque initium signanter declarare. Hominum namque octo esse generationes aiebant, inter se inuicem, cùm vitarum ratione, tum morum operúmque insigniter disterminatas, singulísque iis à Deo singula assignata esse secula, quæ Magni anni periodo & ambitu complentur. Priori autem

culo deficiente, alteróque appropinquante, admiranda quædam in terris & cælo fieri signa haud occulta iis qui doctrinæ occultarúmque disciplinarum scientia, sunt illustres: per illam enim apertè conspiciunt aliud hominum genus morum vitæq; deterioris surgere: etenim Horat. lib. 3. Carmin. Ode 6:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Romani huic arti plurimùm tribuentes, tanto eam studio ac honore prosequuti sunt, vt lege cauerint ne ab vllis quàm nobilibus ad id delectis excoleretur. Cui hisce verbis testimonium præbet Cicero: Hetruria autem de cælo tacta scientissimè animaduertit, eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quo circa benè apud maiores nostros Senatus tum cùm florebat imperium decreuit: vt de principum filiis sex singulis Hetruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum. *Cum disciplinis hisce Hetruscis vrbi etiam se insinuarunt plurimæ Tuscorum voces, inter quas* Subulo *quæ tibicinem signat, estq; ab Ennio vsurpata in hoc versu:* Lib. 1. De Diuinat.

Festus Pompeius & Varro in lib. De verbis Poeticis.

Subulo quondã marinas propter astabat aquas,
In eodem & numero *Saxũ, Sagmina, Saga, Sacer. *Quin & Plinius lib. 1. testatur De Hetrusca*

*Iul. Scaliger in lib. De Subtilit. exercit. 408.

trusca disciplina scripsisse Cæcinam, L. Aquilam, & Tarquitium. Cui hoc Solis radio Ammianus Marcellinus subscribit : Confestim itaque ante lucis primitias Hetrusci aruspices accersiti, consulti quid astri species portenderet, noua vitandum esse cautissimè responderunt, ne quid tunc tentaretur: ex Tarquitianis libris in titulo De rebus diuinis, id relatum esse demonstrantes, quòd face in cælo visa committi prælium vel simile non oporteat. *Inter augures autem Romanos, velut Luna inter minora sidera Nauius Actius splenduit. Is enim cùm Tarquinius ad veteres equitum centurias ex recenti delectu tres à se atq; amicis denominatas vellet addere, solus acerrimè contradixit, neutiquam in hoc negotio Romuli institutum frangi permittens. Quamobrem Rex iratus, artem eius vanam, ipsúmque superbiæ ventis turgidum esse, ostendere conatus est. Itaque medio foro altiori solio sedens, præmonitis adstantibus quid moliretur, Nauium vocat. Ille regiis iussibus patientiam accommodans extemplò comparuit. Rex venientem comiter excipiens his verbis compellat. Nunc ô Naui res desiderat artis tuæ peritiam vt ostendas. Mente negotium arduum concepi, id in rem traducíne possit scire expeto. Ito, consultísque auibus è vestigio responsum refer, hîc ego te operiar. Ille it, ac mox redit, aues addicere omninò futurum esse asserens. Ridet Tarquinius, & è sinu cotem nouaculám-*

Lib. 25. cap. 2.

Dionys. Halicarnass. lib. 3.

aculámque promens, deprehensus es, exclamat, prætextu numinis nobis imponere, cùm etiam impossibilia certò promittere audeas. En animo voluebam possémne cotem nouaculâ discindere, tu asseris. & in largissimum risum frequentissimâ circumstantium coronâ effusâ, Nauius nil ludibrio turbatus exclamat, Feri Tarquini cotem strenuè, profectò eam diuides. Miratus Rex hominis confidentiam nouaculam in cotem adigit; & ecce ferrum dissectâ cote ad manum ipsius vsq; penetrat. Ad tam incredibilem euentum conclamatum est à corona spectantium attonitâ rei miraculo. Rex confusus artis experimento, & indecoram opprobrationem corrigere volens, à duplicandis centuriis destitit, & vt Nauio debitum honorem referret, tanquam Diis omnium mortalium acceptissimo, præter eximiam comitatem exhibitam, etiam ærea statua ipsum ornauit, quæ memoriam eius sempiternam prorogaret ad posteros.

De Europææ Magiæ specie tertia, Romana.

CAP. XXXII.

GRÆCVS ignobilis in Hetruriam primùm venit nulla cum arte earum quas multas ad animorum corporúmque cultum eruditissima omnium gens Romanis inuexit, Liuius Decad.4.lib9.

sed

sed sacrificulus & vates: nec is qui apertâ religione propalam & quæstum & disciplinam profitendo, animos errore imbueret, sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primò paucis tradita sunt: deindè vulgari cœpta per viros mulieresque. Additæ voluptates religioni vini & epularum, quò plurium animi allicerentur. Cùm vinum animos, & nox, & misti fœminis mares ætatis teneræ maioribus, discrimen omne pudoris extinxissent, corruptelæ primùm omnis generis fieri cœptæ: cùm ad id quisque, quò natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. Nec vnum genus noxæ stupra promiscua ingenuorum fœminarúmque erant, sed falsi testes, falsa signa testimoniáque, & iudicia ex eadem officina exibant. Venena indidem, intestinæq; cædes, ita vt ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent. Multa dolo, pleráque per vim audebantur. Occulebat vim quod præ vlulatibus, tympanorúmque & cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra & cædes exaudiri poterat. Huius mali labes ex Hetruria Romam velut contagione morbi penetrauit. Primò vrbis magnitudo capacior patientiórque talium malorum ea cælauit. Tandem indicium hoc modo ad Posthumium consulem peruenit. P. Ebutius, cuius pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus, sub tutela Duroniæ matris, & vitrici F. Semproniј Rutili educatus

catus fuerat. Et mater dedita viro erat, & vitricus, quia tutelam ita gesserat, vt rationem reddere non posset, aut tolli pupillum, aut obnoxium sibi vinculo aliquo fieri cupiebat. Via vna corruptelæ bacchanalium erāt. Mater adolescentulum appellat, se pro ægroto vouisse vbi primùm conualuisset, Bacchis eum se initiaturam. Damnatam voti, Deûm benignitate exoluere id velle. x dierum castimoniâ opus esse: decimo die cœnatum, deinde purè lautum, in sacrarium deducturam. Scortum nobile libertina Hispala Fecenia, non digna quæstu, cui ancillula assueuerat; etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur. Huic consuetudo iuxta vicinitatem cum Ebutio fuit, minimè adolescentis aut rei aut famæ damnosa. Vltrò enim amatus appetitúsq. erat: & malignè omnia præbentibus suis, meretriculæ munificentia sustinebatur. Quin eò processerat consuetudine capta, vt post patroni mortem, quia in nullius manu erat: tutore à tribunis & prætore petito, cùm testamentum faceret, vnum Ebutium institueret hæredem. Hæc amoris pignora cùm essent, nec quicquam secretum alter ab altero haberent, per iocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset: religionis se causa, vt voto pro valetudine suâ facto liberetur, Bacchis initiari velle. Id vbi mulier audiuit, perturbata, Dij meliora, inquit; mori & sibi & illi satius esse, quam id faceret, & in caput eorum detestari

minas periculáque, qui id suasissent. Admiratus cùm verba, tum perturbationem tantam adolescens parcere execrationibus iubet: matrem id assentiente vitrico impetrasse. Vitricus ergo, inquit, tuus, (matrem enim insimulare forsitan fas non sit,) pudicitiam, famam, spem, vitámque tuam perditum ire hoc facto properat? Eo magis mirabundo, quærentíque quid rei esset; pacem veniámque precata Deorum *Dearúmque, si coacta charitate eius silenda enuntiasset: ancillam se, ait, dominæ comitem id sacrarium intrasse, liberam nunquam eò accessisse. Scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse: & iam biennio constare neminem ibi initiatum maiorem annis xx. Vt quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus: eos deducere in locum qui circumsonet vlulatibus, cantúque symphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulsu, ne vox quiritantis cùm per vim stuprum inferatur, exaudiri possit. Orare deinde atq; obsecrare, ut eam rem quocumque discuteret modo, nec se eò præcipitaret, vbi omnia infanda patienda primùm, deinde facienda essent: neque ante dimisit eum, quàm fidem dedit adolescens, ab his sacris se temperaturum. Posteaquàm domum venit, & mater mentionem intulit, quid eo die, quid deinceps cæteris, quæ ad sacra pertinerent, faciendum esset: negat eorum se quicquam facturum, nec initiari sibi in animo esse. Aderat sermoni vitricus, confestim mulier exclamat,*

mat,

nat, Hispala concubitu carere eum decem noctes non posse. Illius ex cetera delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec Deorum verecundiam habere: iurgantes hinc mater, hinc vitricus, cum quatuor eum seruis domo exegerunt. Adolescens inde ad Ebutiam se amitam contulit, causámque ei cur esset à matre eiectus narrauit. Deinde ex authoritate eius postero die ad Coss. Posthumium, arbitris remotis, rem detulit. Consul post diem tertium ad se iussum redire dimisit. Ipse Sulpitiam grauem fœminam, socrum suam, percontatus est, ecquam anum Ebutiam ex Auentino nosset? cùm ea nosse probam, & antiqui moris fœminam respondisset: opus esse sibi ea conuenta dixit: mitteret nuncium ad eam, vt veniret. Ebutia accita ad Sulpitiam venit: & Consul paulò post, velut fortè interuenisset, sermonem de Ebutio fratris eius filio infert. Lachrymæ mulieri obortæ, & miserari casum adolescentis cœpit, qui spoliatus fortunis à quibus minimè oporteret, apud se tunc esset, eiectus à matre, quod probus adolescens (Dÿ propitÿ essent,) obscœnis, vt famā esset, sacris initiari nollet. Satis de Ebutio exploratum ratus consul. non vanum authorem esse: dimissa Ebutia socrum rogat vt Hispalam indidem ex Auentino libertinam non ignotam viciniæ accerseret ad sese; eam quoque esse quæ percontari vellet. Ad cuius nuntium perturbata Hispala, quod ad tam nobilem & grauem fœminam ignara

causæ accerseretur: posteaquam lictores in vestibulo, turbámque consularem, & consulem ipsum conspexit, propè exanimata est. In interiorem partem ædium abductam socru adhibita consul, si vera dicere inducere in animum posset, negat perturbari debere. Fidem vel ab Sulpitia tali fœmina, vel ab se acciperet, expromeret sibi quæ in luco Similæ bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri. Hoc vbi audiuit tantus pauor tremórque omnium membrorum mulierem cœpit, vt diu hiscere non posset. Tandem confirmata, puellam admodum se ancillam initiatam cum domina ait: aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil quid ibi fiat, scire. Iam id ipsum consul laudare, quod initiatam se non inficiaretur: sed & cætera eadem fide expromeret. Neganti vltra quicquam scire, non eandem dicere, si coarguatur ab alio, ac per se fatenti, veniam aut gratiam fore. Eum sibi omnia exposuisse qui ab illa audiuisset. Mulier haud dubiè, id quod erat, Ebutium indicem arcani rata esse, ad pedes Sulpitiæ procidit; & eam primo orare cœpit, ne mulieris libertinæ cum amatore sermonem, in rem non seriam modo, sed capitalem etiam verti vellet, se terrendi eius causa, non quòd sciret quicquam, ea locutam esse. Hic Posthumius accensus ira, tum quoque ait eam cum Ebutio se amatore cauillari credere, non in domo grauissimæ fœminæ & cum consule loqui. Et Sulpitia attollere pauentem, simul illam

iam adhortari, simul iram generi lenire. Tandem confirmata, multum incusata perfidia Ebutij, qui optimi in eo ipso meriti talem gratiam retulisset: magnum sibi metum deorum quorum occulta enuntiaret: maiorem multò dixit hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi essent. Itaque hoc se Sulpitiam, hoc consulem orare, vt se extra Italiam aliquò amandarent, vbi reliquum vitæ degere tutò posset. Bono animo esse iubere eam consul, & sibi curæ fore dicere, vt Romæ tutò habitaret. Tum Hispala originem sacrorum expromit. Primò sacrarium id fœmin...ium fuisse, nec quenquam virum eò admitti solitum: tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu bacchis initiarentur: sacerdotes inuicem matronas creari solitas. Pacullam Miniã Campanam sacerdotem omnia tanquam Deum monitu immutasse. Nam & viros eam primam suos filios initiasse, Minium & Herenniũ Cerrinios, & nocturnum sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus quinos singulis mẽsibus dies initiorum fecisse. Ex quo in promiscuo sacra sint, & permisti viri fœminis: & noctis licentia accesserit; nihil ibi facinoris: nihil flagitij prætermissum; plura virorum inter sese, quàm fœminarum esse stupra: si qui iminus patiẽtes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari, nihil ne fas ducere; hãc summam inter eos religionẽ esse. viros velut mente captos, cum iactatione fanatica corporis vaticinari. Matro-

nas baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim: demissásq. in aquam faces, quia viuũ sulphur cum calce insit, integram flãma efferre. Raptos à Diis homines dici, quos machinæ illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant: eos esse qui aut coniurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem alterum iam prope populum esse: in his nobiles quosdam viros fœminásque. Biennio proximo institutum esse ne quis maior viginti annis initiaretur: captari ætates & erroris & stupri patientes. Peracto indicio aduoluta rursus genibus preces easdem vt se ablegaret, repetiuit Consul rogat socrum, vt aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hispala immigraret. Cænaculum super ædes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso. Res omnes Fecenia extemplo translatæ, & familia accersita. Et Ebutius migrare ad consulis clientem iussus. Ita cùm indices ambo in potestate essent, rem ad senatum Posthumius defert. Omnibus ordine expositis, quæ delata primò, quæ deinde ab se inquisita forent, patres pauor ingens cepit: cùm publico nomine, ne quid eæ coniurationes cœtúsque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent: tum priuatim suorum quisque vicem, ne quis affinis ei noxæ esset. Censuit autem Senatus gratias consuli agendas, quòd eam rem & cum singulari cura, & sine vllo tumultu

multu

multis inuestigasset. Quæstionem deinde de Bacchanalibus, sacrisque nocturnis extra ordinem consulibus mandat. Indicibus Ebutio ac Peceniæ ne fraudi ea res sit, curare, & alios indices præmiis inuitare iubet. Sacerdotes eorum sacrorum, seu viri seu fœminæ essent, non Romæ modò, sed per omnia fora & conciliabula conquiri, vt in consulum potestate essent. Edici præterea in vrbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti, ne quis qui bacchis initiatus esset, coisse aut conuenisse causa sacrorum velit, neu quid talis rei diuinæ fecisse. Ante omnia vt quæstio de his habeatur, qui coierint coniurauerintue quò stuprum flagitiúmue inferretur. Consules ædilibus curulibus imperarunt, vt sacerdotes eius sacri omnes conquirerent, comprensósque libero conclaui ad quæstionem seruarent. Ædiles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent. Triumuiris capitalibus mandatum est, vt vigilias disponerent per vrbem, seruarentque ne qui nocturni cœtus fierent: vtq; ab incendiis caueretur; adiutores triumuiris quinque viri vti cis Tyberim suæ quisque regionis ædificiis præessent. Ad hæc officia dimissis magistratibus, consules in rostra ascenderunt: & concione aduocata populum de nefandis hisce sacris admonuerunt. Deinde recitari senatusconsulta iusserunt: indicique præmium proposuerunt: si quis quem ad se deduxiss t, nomenue absentis detulisset. Qui nominatas profugisset, diem certam se finituros, ad quam ni-

si citatus respondisset, absens damnaretur. Si quis eorum qui tum extra terram Italiam essent, nominaretur, ei laxiorem diem daturos, si venire ad causam dicendam vellet. Edixerunt deindè ne quis quid fugæ causa vendidisse, neue emisse vellet: ne quis reciperet, celaret, ope vllâ iuuaret fugientes. Concione dimissa terror magnus vrbe tota fuit, nec mœnibus se tantum vrbis, aut finibus Romanis continuit; sed passim per totam Italiam literis hospitum de senatusconsulto, & concione, & edicto consulum acceptis, trepidari captum est. Multi ea nocte quæ diem insecuta est, quo in concione res palam facta est, custodiis circa portas positis, fugientes à triumuiris comprehensi & reducti sunt; multorum nomina deleta: quidam ex iis viri fœmineq́ mortem sibi consciuerunt. Coniurasse supra septem millia virorum ac mulierum dicebantur: capita autem coniurationis constabat esse, M. & L. Catinios, de plebe Romana; & Faliscum, L. Opiternium, & Minium Cerrinium Campanum. Ab his omnia facinora & flagitia orta: eos maximos sacerdotes conditorésq. eius sacri esse; data opera est vt primo quoq. tempore comprehēderentur. Adducti ad Cos. fassiq́ de se, nullam moram iudicio fecerunt. Cæterùm tanta fuga ex vrbe facta erat, vt quia multis actienes & res peribant, cogerentur prætores T. Mæuius, & M. Licinius, per senatum res in diem tricesimum differre, donec quæstiones à Coss. perficerentur.

Eadem

Eadem solitudo, quia Romæ non respondebant, nec inueniebantur quorũ nomina deleta erant, coegit consules circa fora proficisci, ibique quærere, & iudicia exercere. Qui tantum initiati erant, & ex carmine sacro, præeunte verba sacerdote, precationes fecerant, in quibus nefanda coniuratio in omne facinus ac libidinem continebatur: nec earum rerum vllam rem, in quas iureiurando obligati erant, in se aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant. Qui stupris aut cædibus violati erant, qui falsis testimoniis, signis adulterinis, subiectione testamentorum, fraudibus aliis contaminati, eos capitali pœna afficiebant. Plures necati quàm in vincula coniecti sunt. Magna vis in vtraque causa virorum mulierúmque fuit. Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, vt ipsi in priuato animaduerterent in eas. Si nemo erat idoneus supplicij exactor, in publico animaduertebatur. Datum deinde consulibus negotium est, vt omnia bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam diruerent: extra quàm si qua ibi vetusta ara, aut signum consecratum esset. In reliquum deindè S. C. cautum est, ne qua bacchanalia Romæ, néue in Italia essent: si quis tale sacrum solenne & necessarium duceret, nec sine religione & piaculo se id omittere posse, apud prætorem vrbanum profiteretur, prætor senatum consuleret, si ei permissum esset, cùm in senatu centum Liuius Decad. 4. Lib. 9.

 non

non minus essent, ita id sacrum faceret, dum ne plures quinque sacrificio interessent: neu qua pecunia communis, neu quis magister sacrorum, aut sacerdos esset.
Idem Ibid. *Aliud deinde huic coniunctum, referente Q. Martio Coss. S. C. factum est*, vt de iis quas pro indicibus consules habuissent, integra res ad senatum referretur, cùm Sp. Posthumius quæstionibus perfectis Romam rediisset. *Minium Cerrinium Campanum Ardeam in vincula mittendum censuerunt, magistratibúsque Ardeatum prædicendum, vt intentiore custodiâ eum asseruarent, non solùm ne effugeret, sed ne mortis consciscendæ locum haberet. Sp. Posthumius aliquantò post Romam venit. Eo referente de P. Ebutij, & Hi-*
Idem Ibid. *spala Fecenia præmio, quòd eorum opera indicata bacchanalia essent*, S. C. factum est: vt singulis bis centena millia æris quæstores vrbani ex ærario darent: vtique Cos. cum tribunis plebis ageret, vt ad plebem primo quoq. tempore ferrent: vt P. Ebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, néue censor ei equum publicum assignaret. Vtique Feceniæ Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset: vtique ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæuè esset: vtique consules prætoresque qui nunc essent. quíue postea futuri essent,
cura-

curarent ne quid ei mulieri iniuriæ fieret, vtique tutò esset: id senatũ velle, & æquum censere, vt ita fieret. *Ea omnia lata ad plebem factáque sunt ex S. C. & de cæterorum indicum impunitate præmiisque consulibus permissum est. Hæc prima Magia tempestas fuit quæ Romam indelibato etiamnum Reipublicæ statu inuasit sub specie religionis: vt rectè Liuius,* nihil in speciem fallaciùs praua religione esse, *dixerit. Et Lucretius Veritatis linguâ cecinerit,* Decad. 4. Lib. 9.

Religio peperit scelerata atque impia facta.

Vitiato autem Reipublicæ statu imperatorum violentiâ, à Nerone summo studio exculta est. Quippe non citharæ tragicique cantus libido illi maior fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis. Primumq. imperare Diis concupiuit, nec quicquam generosius voluit. Nemo vnquam vlli artium validiùs fauit. Ad hæc non opes ei defuere, non vires, non discendi ingenium, aliaq. non patiente mundo. *Hũc posteriori æuo sequutus Iulianus summa scelerum flagrantia spurcam hanc artem coluit. Nam quũ Carris iter in Persas faceret, speluncam quandam subiens, ibi scelestis sacris operatus est, iisq; peractis, paucis consciis huius rei adhibitis, fores seris occlusit, ac consignauit apposita custodia. Eo autem in illa expeditione interfecto, fores eius speluncæ paulò post à curiosis hominibus, qui noscere desiderabant quid* Plinius Lib. 30. cap. 2. Cedrenus, Godfridus Viterbiensis, & Vespergensis, in Chronicis.

imperator

imperator ibi tam seriò custodiri iussisset apertæ sunt; in ea inuenta est muliercula capillis suspensa, extensis manibus, ex cuius iecinore crudelis ille apostata vntre dissecto, victoriam de Persis explorare voluerat. Antiochiæ verò & alibi in abstrusis & secretioribus locis, arcas humanis capitibus plenas, & in puteis multorũ submersa corpora virorũ inuẽta fuere certissima Iulianicorum sacrorũ reliquiæ. Eligabalus quoq. nõ solùm bipedũ sed etiam quadrupedum sceleratissimũ monstrum inexecrando huic ritui deditus fuit. Lectis námque pueris nobilibus & decoris per totam Italiam patrimis & matrimis, vt maior esset vtrique parenti dolor, scelerata hæc sacra excolebat. Adrianum, alioquin multis virtutibus ornatum imperatorem, etiam huiusmodi magicis sacris multum tribuisse, testatur Dio in eius vita, adeò vt Antinoum, eximiæ pulchritudinis puerum, quem etiam in deliciis habuerat, in Ægypto immolauerit, eúmque inter Deos retulerit. Quo in loco postea vrbem conditam ab eo denominauit, eíque statuas per vniuersum orbem terrarum (quæ hoc sæculo passim Romæ videntur) erexit. Valerianus quoque Imperator eiusmodi cerimonias impuras, & incantationes execrabiles, ac sacrificia abominanda perfecit; miseros pueros mactauit; infelicium parentum liberos immolauit; nuper nata viscera scrutatus est, & figmenta Dei, quasi ex hisce facinoribus fortunatus, diremit ac rescidit.

Aelius Lampridius.

Euseb. Lib. 7. cap. 9. eccles. Histor.

Idcóque

Ideóque infœlicissimè regnauit, & tandem in prælio captus à Sapore Persa, instar scabelli eius pedibus subiectus est, donec in ea miseria consenescens, viuus excoriatus fuit. Has superstitiones Occidentalium Indiæ populorum sacerdotibus, quos Caribes appellant, adhuc vsitatas esse, post alios Benzo affirmat. Ii enim ad bella Chiappem *idolum suum deferunt, eique priusquam expeditionem ineant, lectas humanas victimas ex captiuis mactantes, pluribus sacrificiis litant, totúmque ipsius simulachrum sanguine oblinentes, carnes ipsi inter se epulantur. Horatius in Epodon libro hoc verborum flumine Romanam hanc Magiam in omne æuum diffudit:*

Histor. Noui Orbis Lib. 2. cap. 6.

At ô deorum quicquid in cælo regit
Terras & humanum genus,
Quid iste fert tumultus? & quid omnium
Voltus in vnum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit:
Per hoc inane purpuræ decus precor:
Per improbaturum hæc Iouem.
Quid, vt nouerca, me intueris? aut vti
Petita ferro bellua?
Vt hæc trementi quæstus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus quale posset impia
Mollire Thracum pectora:
Canidia breuibus implicata viperis
Crineis, & incomtum caput,
Iubet sepulchris caprificos erutas,
Iubet cupressus funebreis,
Et vncta turpis oua ranæ sanguine

Plumamque

Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque quas Iolchos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax:
Et ossa ab ore rapta ieiunæ canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Auernaleis aquas,
Horret capillis vt marinus, asperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer
Longo die bis, térue mutatæ dapis
Inemori spectaculo:
Cùm promineret ore quantum extant aqua
Suspensa mento corpora:
Exsecta vti medulla, & aridum iecur,
Amoris esset poculum:
Interminato cùm semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam:
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum?
Quæ sidera excantata voce Thessala
Lunamque cælo deripit.
Hic in resectum sæua dente liuido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? ô rebus meis
Non infideles arbitræ
Nox, & Diana quæ silentium regis,
Arcana cùm fiunt sacra:
Nunc nunc adeste: nunc in hostileis domos
Iram atque numen vertite:
Formidolosæ dum latent siluis feræ,
Dulci sopore languidæ;
Senem, quòd omnes rideant, adulterum

Latreat

Latrent Suburanæ canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarunt manus.
Quid accidit? cur dira barbaræ minùs
Venena Medeæ valent,
Quibus superbam fugit vlta pellicem
Magni Creontis filiam,
Cùm palla, tabo munus imbutum, nouam
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit vnctus omnium cubilibus
Obliuione pellicum.
Ah, ah, solutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non vsitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput)
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus,
Maius parabo; maius infundam tibi
Fastidienti poculum:
Priusque cælum sidet inferius mari
Tellure porrecta super:
Quam non amore sic meo flagres, vti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, iam non, vt antè, mollibus
Lenire verbis impias:
Sed dubius vndè rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces.
Venena, magnum fas, nefasque: non valent
Conuertere humanam vicem.
Diris agam vos, dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin, vbi periere iussus expirauero:
Nocturnus occurram furor;
Petamque voltus vmbra curuis vnguibus:
Quæ vis deorum est Manium:
Et inquietis assidens præcordiis,

Pauore

Pauore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc, & hinc saxis petens
Contundet obscenas anus.
Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.
Neque hoc parenteis, heu, mihi superstites
Effugerit spectaculum.

De Europææ Magiæ specie quarta, Gallica & Germanica.

CAP. XXXIII.

SINCERÆ *etiam deformísque Magiæ igniculi in Gallica Germanicaq; barbariei niue emicuere. Apud eas enim gentes Vates, vt à Strabone, seu* Eubages, *vt ab Ammiano appellantur*, scrutantes summa & sublimia naturæ, ea pandere conabantur. *Hæc autem naturæ secreta, futurorum ex auium gestibus prædictiones erant. Id tangens Iustinus:* Augurandi studium Galli præter cæteros callent. *Et Cicero proprium nomen ipsis communicans:* Si quidem & in Gallia Druidæ sunt, è quibus ipse Diuitiacum Heduum, hospitem tuum laudatorémque cognoui; qui & naturæ rationem, quam Physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim auguriis, partim coniectura, quæ essent futura dicebat. *Habuere hæ nationes & poëtas suos* Bardos, qui fortia virorum illustrium facta heroicis compo-

Lib. Ammian. Marcellin. lib. 15. cap. 8.

Lib. 24.

Lib. 1. De Diuinat.

sita

ſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitabant. *Ita Tuiſtonem & Mannum famæ inſeruerunt. Quòd aperiens Tacitus, inquit:* Colebant carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoreſque. *Inſerebant igitur hiſce carminibus res memoriæ tradendas, vti barbari ferè omnes, & rudes literarum. Nec Hiſpani aliter comperere apud nouos Indos. Eginhartus in vita Caroli Magni:* Barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur ſcripſit, memoriæque mandauit. *Iornandes de Gothis;* In priſcis eorum carminibus pænè hiſtorico ritu recolitur, &c. *At propriè de Germanis Tacitus de Arminio:* Caniturque adhuc barbaras apud gentes. *Iulianus in Antiochico egregiè hæc vocat,* Agreſtia carmina, ſimilia clangoribus auium aſperè clamantium. *Solebant enim hæc carmina* ituri in prælia canere, eorumque relatu, quem Barditum vocabant, accendere animos, futuræque pugnæ fortunam ipſo cantu augurari. Terrebant enim, trepidabántue, prout ſonuiſſet acies. Nec tam vocis ille, quàm virtutis concentus videbatur. Affectabatur præcipuè aſperitas ſoni, & fractum murmur obiectis ad os ſcutis, quo plenior & grauior vox repercuſſu intumeſceret. *Vilitatem horum*

Ammian. Marcellin. Lib. 15. cap. 8.

In lib. De Moribus Germanor.

Lib. 11. Annal.

Tacitus in lib. de Moribus Germanor.

In Aulularia.

rum carminum ridet Plautus, inquiens:

Sient viliores Gallicis canteriis.

Tanta autem apud hosce populos auctoritas horum poëtarum erat, vt cum instructâ acie exercitus eductis ensibus iactísque iaculis propinquarent, non solùm amici, sed hostes quoque eorum interuentu à pugna conquiescerent. Ita apud barbaros ira cædebat sapientiæ, & Mars reuerebatur Musas. *Tertia autem apud hosce populos Magorum Druidarum secta lucidissimè splenduit. Hi rebus diuinis intererant, sacrificia publica ac priuata procurabant, religionésque interpretabantur. Ad eos magnus numerus adolescentium disciplinæ causa concurrebat. De omnibus ferè controuersiis publicis priuatisque constituebant. Et si quod esset admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia esset, iidem præmia decernebant, pœnásque constituebant. Si quis aut priuatus, aut publicum officium gerens suo decreto non stetisset, sacrificiis interdicebant. Hæc pœna apud eas gentes erat grauissima. Quibus enim ita erat interdictum, ij in numero impiorum ac sceleratorum habebantur: ab illis omnes decedebant, aditum eorum sermonémque fugiebant, ne quid ex contagione incommodi acciperent, néque iis petentibus ius reddebatur, neque honos vllus communicabatur. His autem Druidis præerat vnus qui inter ipsos summam habebat auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex*

Diodor. Sicul. lib. 5. Rer. antiquat. cap. 9.

Iul. Cæsar lib. 6. De bello Gallico.

reliquis

reliquis dignitate excelleret, ſuccedebat: at, ſi plures eſſent pares, ſuffragio Druidarum eligebatur. Quin & interdum de principatu armis contendebant. Certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habebatur, conſidebant in loco conſecrato: eò omnes vndique qui controuerſias habebant, conueniebant, eorúmq. iudiciis acquieſcebant. Erant à bello tributiſque immunes: vnde ea libertate extimulati plurimi, & ſua ſpontè in diſciplinam conueniebant, & à propinquis parentibúſque mittebantur. Ingentem ibi verſuum numerum ediſcere cogebantur, adeò vt nonnulli annos vicenos iis inhærerent, namque literis eos committere nefas iudicabant, cùm in reliquis publicis priuatíſque negotiis Græcis literis vterentur. Hoc autem duabus de cauſis feciſſe videntur, tum quòd neque in vulgum diſciplinam ſuam efferri vellent; tum quòd diſcipulos literis confidẽtes memoriæ cultũ negligere nollent; quòd ferè pleriſque accidit, vt ſubſidio literarum fidentes, diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant. Multa de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate docebant. In primis autem illud perſuadere conabantur, animas non interire, ſed poſt mortem ad alia ſe corpora transferre. Hocque præceptum maximè virtutem excitare putabant, metum mortis cùm adimeret. Eleganter Ammianus Mar-

Lib. 15. cap. 8. *cellinus hanc Druidarum doctrinam inculcans:* Inter hos Druidæ ingeniis celsiores, vt auctoritas Pythagoræ decreuit, sodalitiis astricti consortiis, quæstionibus occultarum rerum aliarumque erecti sunt, & despectantes humana pronuntiarunt animas immortales. *Hinc* pecunias mutuas, quæ sibi apud inferos redderentur dabant. *Simplicitati atque animositati ipsorum multum inerat imprudentiæ simul ac superbiæ, & ornamentorum studium. Etenim aurea ipsis erant gestamina, collo quidem torques, manibus autem & brachiis murenulæ.* * *Nihil habebant visco, & arbore in qua gignitur, (quæ robur fortassis,) sacratius. Enimuero quicquid ei adnasceretur è cælo missum putabant, signúmque esse electæ ab ipso Deo arboris. Vnde Virgilius:*

Valerius Maximus lib. 1. cap. 1 Strabo Lib. 4.

*Plinius lib. 16. cap. 44.

Ae. 6.

Quale solet siluis brumali frigore viscum
Fronde virere nouâ, quod nõ sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos.

Plinius lib. 16. cap. 44.

Erat autem id rarum admodum inuentu. & repertum magnâ religione petebatur: & ante omnia sexta Luna, quæ principia mensium annorúmque iis faciebat, & seculi post tricesimum annum, quia tunc virium abundè habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis epulísque ritè sub arbore præparatis, duos admouebant candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vincirentur. Sacerdos candidâ veste or-

natus

natus arborem scandebat, ac aurea falce demetebat. Candido id excipiebatur sago. Tum demum victimas immolabant, precantes vt suum donum Deus prosperum faceret, quibus id dedissent. Fœcunditatem eo potato dari cuilibet animali sterili arbitrabantur, contráque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio est, *inquit Plinius. Prodidere etiam hi Druidæ herbam Selaginem Sabinæ simillimam, contra omnem perniciem prodesse, oculorúmque vitia eius fumum emendare. Samolum etiam herbam in humidis locis nascentem nominauere, eámque tradidere debere legi sinistra manu à ieiunis contra morbos porcorum boúmque nec vlla ratione respicere legentem debere, nec alibi quam in canale deponere, ibíque conterere potaturis. Elementorum præclarissimum aquam censebant. Vnde eam, tanquam cunctorum mundi ambitu comprehensorum vtilissimum, Sponsæ in nuptiis Spõsis apud hasce gentes tradebant: vt ex hac historia liquet. Phocenses ignauitate ac macie terræ coacti, studiosius mare quàm terras exercuerunt, piscando, mercando: plerúmque etiam latrocinio maris (quod illis temporibus gloria habebatur,) vitam tolerabant. Itáque in vltimam Oceani oram procedere ausi, per sinum Gallicum in ostium Rhodani amnis deuenere. Cuius loci amœnitate capti, reuersi domum, referentes quæ viderant, plures sollicitauere. Duces classi Furius & Pe-*

Plinius. lib. 24. cap. 11.

Iustinus lib. 43.

ranus fuere. Itaque ad regem Segoregiorum, Senauum nomine, in cuius finibus vrbem condere gestiebant, amicitiam petentes conueniunt. Fortè eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat, quam more gentis electo inter epulas genero, nuptum tradere illi parabat. Itaque cùm ad nuptias inuitati omnes processissent, vocantur & Græci hospites ad conuiuium. Introducta deinde virgo, cùm iuberetur à patre aquam porrigere ei quem virum eligeret: tum omissis omnibus ad Græcos conuersa aquam Perano porrigit: qui factus ex hospite gener, locum condendæ vrbis à socero accepit. Condita igitur Massilia prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, veluti in angulo maris. Futura etiam hi Druidæ prædicebant, vt in hoc Taciti lumine clarè cernitur.

Lib. 4. Historiarum. Sed nihil æquè, quam incendiũ Capitolij, vt finem imperij adesse crederent, impulerat. Captã olim à Gallis vrbem; sed integra Iouis sede, mansisse imperium. Fatali nunc igne, signum cælestis iræ datum, & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vanâ Druidæ canebant. *In bellis quoque in acie versabantur precibúsque hostes deuouebant, suos autem ad fortitudinem exhortabantur. Eleganter id innuens Tacitus de Paullino Suetonio Britanniæ præfecto scribit:* Igitur Monam insulam incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, nauésque

Lib. 14. Annal.

que fabricatur plano alueo, aduersus breue littus & incertum. Sic pedites equites sequuti vado, aut altiores inter vndas adnantes, equis transmisere. Stabat pro litore diuersa acies, densa armis virisque, intercursantibus fœminis: in modum Furiarum, veste ferali, crinibus deiectis, faces præferebant. Druidæque circum preces diras sublatis ad cælum manibus fundentes, nouitate aspectus perculere militem; vt quasi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberet. *Hominem etiam diuinationi destinatum in tergo ferientes, ex ipsa impatientia afflictandique modo, vaticinium capiebant. Quosdam etiam sagittis configebant, & intra sacras ædes patibulo affigebant. Magnum etiam è fœno simulachrum statuebant, eiq iniecta ligna, belluas, hominésque, comburebant.* * *Multi etiam sunt in ea opinione Atleantem, Aram latam à priscis appellatam. Nam in eo loco, propè ciuitatem, quæ Rocheta dicebatur, duæ columnæ extructæ erant, iisque ara imposita, in qua cotannis ad Calend. Maias frequens vndique populus humanas hostias pro sua sospitate mactare consueuerat. Itaque tres iuuenes emptos anno toto saginabant, quos prædicto die ad aram illam immolabant; eorúmque sanguine populum aspergentes, eum expiabant. Quem ritum Trophimus sustulit, docens non cruore mortalium, sed Christi sanguine ipso, debere aspergi. Cæterùm Posidonius in Oceano*

Strabo lib. 4.

* inter quos Geruasius, quem citat Robertus Gaguinus lib. 19 Histor. Francorū.

paruam insulam esse inquit, non longè à continente in exitu Ligeris amnis, eam habitasse Samnitarum mulieres Bacchi numine afflatas; quæ istius insulæ Deum propitiabant, & festis ritibus ac aliis sacrorum formis exorabant. Virum autem nullum insulam eam ingredi consueuisse, verùm mulieres ipsas traiicientes in continentem viris commisceri, rursúsque reuerti solitas. Annuum autem morem ibi viguisse, asserit, vt vno eodémque die templum detegerent, denuóque contra aëris iniuriam munirent, qualibet muliere tegulam afferente: illum autem fatalem casum fuisse vt vni tegula excideret, vtque tunc statim à reliquis dilaceraretur Similem de alia insula historiam his verbis describit Tacitus. Est in insula Oceani castum nemus, dicatum in eo vehiculum veste contectum, attingere vni saccerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamque bubus fœminis multâ cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca quæcumq; aduentu hospitioq; dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum. Pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conuersatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia,

In lib. De Morib. Germanor

rantia, quid ſit illud quod tantum perituri vident. *Sublati hi Druidæ à Tiberio fuere. Plinius:* Namque Tiberij Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque. Sed quid ego hæc commemorem? Inertem Oceanum quoque tranſgreſſa eſt, & ad naturæ inane penecta: (*ſcilicet Magia*) Britannia hodieque eam attonitè celebrat tantis ceremoniis, vt dediſſe Perſis videri poſſit. *In Britannia igitur ſummus Magiæ cultus viguit, cui addicit Cæſar ſcribens:* Diſciplinæ in Britannia repertæ, atque indè in Galliam tranſlatæ eſſe exiſtimantur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò diſcendi cauſa proficiſcuntur. *Licet autem à Tiberio Druidæ imitùs ſublati eſſent, eorum tamen execrandos mores reſtituit Claudius. Mercurius apud Senecam Claudium accuſans, inquit:* Cogitate P. C. quale portentum in numerum Deorum ſe recipi cupiat. principes pietate & iuſtitia Dij fiunt. Scilicet hic pius & iuſtus quoniam Druidarum immanem religionem aduexit, noſtram prorſus extirpauit; vt Romæ nuptiarum ſacra eſſent. quibus ipſe; cum ſibi Agrippina nuberet, x. x. x. Senatoribus, innumeris equitibus Romanis mactatis, principium dedit. *Diligenter autem hic obſeruandum ne quis homonymia ſibi imponat, Gallos ſacerdotes eoſdem cum*

Lib: 30. cap. 1.

Lib. 6. De Bello Gallico.

In Claudij Apocolocyntoſi.

Druidis existimans; ingens enim inter eos discrimen, quod aperit Ouidius canens:

Lib. 4. Fast.

Cur igitur Gallos qui se excidere vocamus?
Cum tantum à Phrygia Gallica distet humus?
Inter, ait, viridem Cybilen, altasque Celenas,
Amnis vt insanâ, nomine Gallus, aquâ. (est
Qui bibit inde furit: procul hinc discedite queis
Cura bonæ mentis, qui bibit indè furit.

INDEX.

Auctorum ex quibus hoc opus conflatum.

A.

ABYDENVS.
Aelianus.
Agatharcides Cnidius de rebus Asiaticis.
Agathias.
Alexander Polyhiſtor.
Ammianus Marcellinus.
Annæus Cornutus.
Antipater.
Antiſthenes de ſucceſſionibus.
Appollonius Cyrenaicus de Diis.
Appollodorus.
Apuleius.
Arias Montanus.
Ariſtagoras.
Ariſtoteles.
Ariſtobulus.
Arnobius.
Arrianus.
Artapanus.
Atheocles de Aſſyriorum Medorumque rebus.
Auguſtinus.
Auſonius.

B.

BARDESANES Chaldæus de Fato.
Bencius de quinque Martyr.
Benzo de hiſtoria noui Orbis.
Beroſus Babylonius de Aſſyriorum Medorumque rebus.
Biblia
Bion.
Bocatius.

C.

CALVETO de rebus noui orbis.
Catullus.
Cedrenus.
Chalcidius.
Chryſoſtomus.
Cicero.
Clearchus.
Curtius.
Cyrillus.

D.

DAMASCENVS.
Dares Phrygius.
Demetrius de æquiuocis.
Democritus.
Dictys Cretenſis.
Dinon.
Diogenes Laërtius.
Dionyſius De ſitu Orbis.
Dionyſidorus.
Dionyſius Halicarnaſſæus.
Dionyſius Mityleneus.

E.

ECHEMENES de rebus Cretenſibus.
Epiphanius.
Eudoxus.
Eupolemon.
Euripides.
Euſebius.
Euſtatius.

G.

GELOVS Apollodorus.
Godfridus Viterbienſis.

H.

HECATEVS de philoſophis Aegyptiorum.
Heliodorus.
Hellanicus.
Hermippus de Magis.
Herodotus.

Heſio-

Hesiodus.
Hieronymus.
Horatius.
Hippocrates.

I.

IGNATIVS.
Ioannes Goropius Becanus
Ioannes Metellus.
Iosephus.
Isidorus.
Iulius Cæsar.
Iulius Scaliger.
Iustinus.
Iuuenalis.

L.

LACTANTIVS.
Lampridius.
Lerius De nauigatione in Brasiliam.
Liuius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius.
Ludouicus Viues.

M.

MACROBIVS.
Manethi Physices epitome.
Manilius.
Marsilius Ficinus.
Martianus Capella.
Menœchmus.
Myrleanus Asclepiades.
Myrtilus De rebus Lesbicis.

N.

NICANDER De Europa.
Numenius De Bono.

O.

ORIGENES.
Orpheus.
Ouidius.

P.

PAVSANIAS.
Philippus Melanthon.
Philo.
Philostratus.
Philoponus.
Picus Mirandula.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Politianus.
Polyænus.
Porphyrius de Philosophiæ responsis, & contra Christianos.
Priscianus.
Proclus.
Procopius.
Psellus.

Q.

QVINCTILIANVS.

R.

RODERICVS Toletanus De rebus Hispanicis.
Ruffinus.

S.

SALVIANVS.
Salustius.
Seleucus.
Seneca.
Silius Italicus.
Simplicius.
Solinus.
Sotion.
Stobæus.
Strabo.
Suidas.
Synesius.

T.

TERTVLLIANVS.
Theophilus.
Theopompus.
Timæus.
Trismegistus.

V.

VARRO.
Velleius Paterculus.
Verrius Flaccus de rebus memorabilibus.
Virgilius.
Volaterranus.

X.

XANTHVS Lydius.

Z.

ZOROASTER.

INDEX CAPITVM

Libri Secundi, quem subiecimus vt lector in vno aspectu habeat eius filum & contextum.

Tractatus I. *De Indorum Philosophis.*

CAP. 1. De Zoroastro Bactrianorum rege, ac principe Magorum.

Zoroastri Oraculorum.

CAP. I. *De Diuina Vnitate, Dualitate, ac Trinitate.*
II. *De Deo Patre, & Mente diuina,*
III. *De Diuina Mente, Intelligibilibus, & Intelligente natura.*
IV. *De Iyngibus, Ideis, & Principiis.*
V. *De Hecate, Synochis, & Teletarchis.*
VI. *De Anima, & Natura.*
VII. *De Mundo.*
IIX. *De Cœlo.*
IX. *De Tempore.*
X *De Anima, Corpore, & Homine.*
XI. *De Dæmonibus & sacrificiis.*

2. De priscorum Indorum philosophorum variis generibus.
3 De recentium Indorum philosophorum variis generibus.

Tractatus II. *De Babyloniorum, & Phœnicum philosophis.*

4. De Bel Babylonico Semiramidis patre.
5. De Solis apud Assyrios & Chaldæos cultu, quem Adad, Adonimque appellabant.
6, De Igne Chaldæorum Deo.
7. De Chaldæo Iiobo, & eius amicis, ac Bilhamo.
8. De prædictionibus Chaldeorum, ac remedio quo curarunt Faustinam.
9. Chaldæorum nobiliora placita.
10. De Bardesane Chaldæo, & eius De Fato fragmento.
11. De Phœnicum fabulosa Theologia.

12. D

12. De Cadmo Phœnice, Græcarumque ac Latinarum litterarum origine, & incremento.

Tractatus III. *De Ægyptiorum Iudæorumq; philosophis.*

13. Argumenta Ægyptiorum de sua antiquitate, ac de ea cum Scythis contentio.
14. De Ægyptiorum fabulosa Theologia.
15. De Mystica Ægyptiorum philosophia.
16. Ægyptiorum Physicorum nobiliora placita.
17. De Ægyptiorum Hieroglyphicis.
18. Quo modo Ægyptij duodecim Zodiaci signa deprehenderint.
19. Amasis Regis Ægyptiorum cum Æthiopum Rege de sapientia ac eruditione certamen.
20. De iudiciis & legibus Aegtypiorum.
21. De Schelomone.
22. De Sammai & Hillel, eorumque asseclis Pharisæis ac Scribis.
23. De Recabæis, eorumque successoribus Hosiis, seu Essenis.
24. De Sadducæis.
25. De Samaritanis, Hemerobaptistis, & Nazaræis.
26. De Orpheo Thrace.
27. De Hermete Trismegisto Noachi auditore, ac pædagogo Chusi.

Tractatus IV. *De Impura Magia, Asiatica, Africana, & Europea.*

28. De Asiatica Magia, eiusque auctore Zoroastro, seu Zarade Persa.
29. De Africana Magia.
30. De Europææ Magiæ specie prima, Thessalica.
31. De Europææ Magiæ specie secunda, Hetrusca.
32. De Europææ Magiæ specie tertia, Romana.
33. De Europææ Magiæ specie quarta, Gallica, & Germanica.

INDEX

INDEX

Memorabilium totius operis.

A.

ABRAHAM à Babyloniis ad Phœnices Philosophiam transtulit. 28
Abraham. 27. quid Phœnices docuerit. 30
Abraham Hieroglyphicas literas tradidit Phœnicibus. 31
Abraham quid tradiderit Aegyptiis. 38
Achillis clypeus. 110
Achilles à Chirone enutritus, ac institutus. 110
Adonidis fabulæ explicatio. 162.
Agyptiis quid tradiderit Abraham. 38
Agyptiaca philosophia. 40
Aegyptiorum philosophi. 42. 43
Aegyptiorum sacerdotum diuersa officia. 44
Aegyptiorum sacerdotes vnicam coniugem ducebant. 52. Historias scribebant. Ibidem
Aegyptiorum astrologi. 46
Aegyptij duodecim Zodiaci signa quo modo deprehenderint. 205
Aegyptiorum Physici. 49
Aegyptiorum Physicorum nobiliora placita. 203
Aegyptiorum de Nili origine sententia. 49
Aegyptiorum bibliothecæ. 53
Aegyptiorum Hieroglyphica. 204.
Agyptiorum Geographia. 42
Agyptiacè quid sonet AESCH, & KELEPH. 66
Aegyptiis quid ENETH significet. 193
Aegyptiis OSIRI multoculum denotat. 41
Aegyptiorum fabulosa Theologia. 200
Aegyptiorum mystica philosophia. 202
Aegyptiorum mysticam Theologiam Syrmobulus primum in lucem protraxit. 192
Aegyptij è limo putrescente bruta hominesque procreatos dixere, 197
Aegyptij cur animalia in deorum numerum retulerint. 202.
Aegyptiorum cum Scythis de antiquitate contentio. 156
Aegyptiis antiquis cibus erat Agrisis herba. 178
Aegyptiorum regis Amasis, cum Aethiopũ rege de sapientia ac eruditione certamẽ 208.
Aegyptiorum philosophi iudicia exercebant. 51
Aegyptiorum de furtis lex. 51
Aegyptiorum iudicia, ac leges. 210.
Aegyptiorum medicina. 55
Aegyptij medici. 57
Aegyptiaca philosophia in varias gentes diffusa. 60.
Aegyptiacam philosophiam in Iudæam transtulit Moises, 60.
Aegyptiaca philosophia Rhodo illata. 63. Græciæ à Cecrope, & Danao. 64.
Aegyptiaca medicina ab Aesculapio Græciæ illata. 66. ea aucta in Asia à Podalirio. 67.

rio. 67. in Græcia ab Hippocrate. 60
Aegyptiaca philosophia ab Orpheo Græciæ illata. 69
Aegyptiacas leges Solon & Lucurgus Græciæ intulerunt primi. 69
Aegyptiorum Geometria. 54. Græciæ à Democrito illata, ibidem.
Aegyptiacas disciplinas Græciæ intulit Plato. 80
Aegyptiacæ antiquæ philosophiæ per varios casus, occasus. 57. 58. 59
Aegyptiacæ hodiernæ barbariei deploratio 60
Africana Magia. 260
Alani carnibus aluntur. 176
Amaracum colunt Bramanes. 147
Amazonum imperij origo, ac constitutio. 97
Anima. 131. 135. 103
De Anima Druidarum sententia. 307
Aquam coluere Persæ. 254
Aquam in summo honore habebant Druidæ. 309
Arabum lex de adulteris. 179
Aristoteles omnes omnium gentium disciplinas adunauit. 80. eius laus. Ibidem
Arabum in Hispaniam irruptionis prænuncia arca, Toleti reperta. 156
Aristoteles Babyloniorum inuenta suis scriptis inseruit. 26
Aries aureus celeberrimus philosophus, Phryxi pædagogus 100
Artium ac rerum variarum inuentores. 112. &c.
Artium mater experientia, 6
Asenath vxor Iosephi summi Aegyptiorum sacerdotis ac præsidis filia. 51
Asiaticæ philosophiæ mutationis causa bella, ac imperiorum variantes vices. 93
Asiatica Magia. 2 2
Assur Ninus Assyrij imperij auctor. 16
Assyrij & Chaldæi Solem coluerunt. 160. eius effectus virtutesque in vna imagine expresserunt. 163
Assyria simplicia nomina 153
Astarte varia diademata regia inuenit. 191
Astrologi Aegyptiorum. 46
Atlas Phœnix philosophus. 32
Astronomiam apud Græcos primus litterarum perennitati inseruit Orpheus. 237
Atriorum lex de furtis. 180

B.

BABYLONICI imperij auctor Nimrod. 16
Babylonij cultores Astronomiæ 19
Babylonij astronomi 21. &c. quo modo appellati. 23
Babyloniorum historici Magi dicti. 26
Babyloniorum Persarumque philosophi posteriori æuo Magi dicti. 85
Babyloniorum disciplinas Daniel auxit. 25
Babyloniorum dies. 149
Babylonica Magia in Persiam translata. 85
Babyloniorũ disciplinam Græciæ Berosus intulit. 25
Babyloniorum inuenta suis scriptis Aristoteles inseruit. 26.

Babylonicis compositis nominibus NEBO præponitur. 152
Babyloniorum imperatores ad imperium venientes nomen mutabant. 153
Bacchi Thebani in Indiam expeditio. 101. cur dictus insertus Iouis fœmori, ac bis genitus. 103. eius in Septentrionales regiones expeditio. ibidem. eius triumphus. 104
Bactrianorum lex de furtis. 180
BAL Punicis nominibus postponitur. 152
Baneanes. 144
Bardesanes Chaldæus. 175 eius de Fato fragmentum. ibid.
Bardi poetæ 305. eorum carmina. ibid. eorum auctoritas. 306
Bel quid Chaldaice denotet, & quam variè vsurpatum. 150
Bel Babylonicus philosophus, Semiramidis pater. 19. 148. eius templum. ibid. & 157. quod à Nebucatnetzar Iudaici Syrianique triumphi manubiis exornatum. 149
Bel apud Babylonios astronomiam inuenit. 154. eius sepulchrum. ibidem.
Bibliothecæ Aegyptiorum. 53.
Bibliotheca Simandij Aegyptiorum regis. 53
Bilham. 21. 165. eius prophetiæ. 167
Brachmani 140. ac. 178
Bramanes. 145
Britanni plures vnam habebant olim vxorem. 180

C.

CADMVS 34. 193. filiæ natum mortuum deaurauit. 166
Cadmus e Phœnicia in Græciam disciplinas transfert. 35
Cadmus Phœnix Thebas in Græcia condit. 35
Cadmi litteras in Græcia ad vsum reuocauit Danaus. 65
Cælum. 133
Cæli aduersus Saturnum machinæ. 190
KARTHADA, seu Carthago. 33.
Cain posterorum inuenta. 8
Carthaginensium execranda litatio. 56.
Chaldæorum de Mercurij stellæ efficacia sententia. 181
Chaldæi & Assyrij Solem coluerunt. 166
Chaldæorum prædictiones, ac remedium quo curarunt Faustinam. 171. ipsorum nobiliora placita. 173
Chaldæorum Assyriorumque de Adonide commentiexplicatio. 162
Chaldæorum nomina simplicia 151. composita. 152
Chiron medicus & chirurgus. 107
Chiron Iasonem educauit ac instituit 109. & Achillem 110
Christianorum laus. 184
Christi aduentus egregium testimonium. 157
Christi natiuitatis nuntia stella. 170
Circe venefica. 98
Corpus. 135
Cor. 203
Cothone primum Didonis in Africa propugnaculum. 33
Cyri mandato vasa è templo Ierusehalaimorũ à Nebucatnetzar ablata, ei per Scheschbatzarem restituta. 150

D.

DAEMONES 138
Dagon quid inuenerit. 190
Danaus Cadmi litteras ad vsum reuocauit. 65. municipale Græcorum ius auxit, ibidem.
Daniel Babyloniorum disciplinas auxit. 25
Democritus Aegyptiorũ Geometriam Græciæ intulit. 34
Deus Pater. 126
Diademata regia varia Astarte inuenit. 191
DIDO Pœnis viraginem sonat. 33
Diuina mens. 126. 127
Diuina vnitas, dualitas & trinitas. 124
Dosithei. 233
Dracones serpentesque, Taautus, Aegyptij, & Phœnices putarunt diuinos. 192
Druidæ. 306. eorum dogmata inserta carminibus, quæ litteris committere nefas. 307 eorum de anima sententia. 307. eorum mores. 308 viscum maximi faciebant. ibid. eorum de herba Selagine, & Samolo, sentẽtia 309. aquam primarium elementum esse dicebant. ibidem. diuinatores erant. 310. in præliis suorum animos precibus erigebant, hostium deprimebant. ibidem. Magiæ impuræ cultores erant 311. eorum relligionem sustulit Tiberius. 313 instaurauit Claudius. ibid. à Druidis diuersi, Galli sacerdotes. 314 Magici ritus in insulis Oceani. 312

E.

ESSENI, seu Essæi. 122
Ethicam colebant egregiè Brachmani. 143
Europæ ex Serapiæ littore raptus. 34
Eubages diuinatores 304
Europæa Magia. 262 273 288 304

F.

Fatum. 175
Funerandi Persarum Parthorumque fœdus ritus à Zoroastro, seu Zarade manauit. 254

G.

GALLI sacerdotes alij erant quàm Druidæ. 314
Gallica Magia. 304
Gallorum pueri quondam nubebant. 180
Geometria Aegyptiorum. 54 Græciæ à Democrito illata, ibidem.
Getulorum lex de mulierum officiis. 178
Germanica Magia, 304
Græciæ illata Aegyptiaca philosophia à Cecrope, & Danao. 64
Græci vsi Phœniciis litteris Troiani belli tempore. 37 quas sibi tandem vendicarunt. 36
Græcorum Hesperiorumque squallor, priusquam Aegyptiaca philosophia imbuti essent. 83
Græca philosophia virescere cepit, barbaricâ senio confectâ. 79
Gymnosophistæ. 141

H.

HECATE venefica. 98
Hecate. 139
Hemerobaptistæ. 232
Henoch, eiusque vaticinium. 10.

Hetrusca Magia. 273
Hetruscis Tages Aruspicinam dedit. 285 eius scripta. 276
Hetrusci excoluere Aruspicinam. 273 Aeromantiam, & Pyromantiam. 274 in Aruspicina vtebantur præcipuè capris & hircis. 275
Hetruscorum prædictio de capite in Tarpeio tumulo inuento. 278 de Cippo 281 de Horatij Coclitis statua. 283 de concentu audito in aere tempore Syllæ. 284
Hetrusca prædictio de Tarquinio. 280
Hetrusca disciplina statuit ouem insoliti coloris indicem fœlicitatis. 276
Hetruscam disciplinam à nullis nisi nobilibus coli permiserunt Romani. 285
De Hetrusca disciplina scripta Romanorum. 286
Hetruscorum aliquot voces quæ cum eorum disciplinis in Vrbem irrepserunt. 285
Hetruscâ disciplinâ Romanorum illustrissimi Nauij Actij admiranda prædictio. 286
Hieroglypphicas litteras ab Abrahamo acceperunt Phœnices. 31
Hillel. 217
Hiob. 21 65. eius amici. ibid.
Hippocratis prosapia. 68
Hog Phœnix philosophus. 30
Hoge Phœnicibus meditantem signat. 35
Homo. 135
Hominis excellentia, & laus. 1, 2, 3
Hosij. 221
Hioboli. 143

I.

IACOB. 27
Iachenus Aegyptius medicus, primus pestis auerruncus. 55
Iason à Chirone educatus, & institutus. 109 Dolomedes prius dictus. 110
Idææ. 129
Ignis adoratus, 15
Ignis Chaldæorum Deus. 164
Ignem coluere Persæ. 254
Indorum priscorum philosophorum varia genera. 140
Indorum recentium philosophorum varia genera. 144
Indorum nobiles Naires. 146
Indorum sepeliendi ritus. 182
Indorum quædam gens olim homines venabatur. 178
Iosephi vxor summi Aegyptiorum sacerdotis ac præsidis filia. 51
Isaac. 27
Iudaicæ philosophiæ incrementa. 61
Iudaicæ philosophiæ sectæ, 61
Iudaica philosophia Græciæ illata: à Platone, Pythagora, & Aristotele. 62 63
Iulij Cæsaris mors prædicta. 157
Iynges. 129

L.

LEX Aegyptiorum de furtis. 51
Leges Aegyptiacas Solon & Lycurgus Græciæ intulerunt primi. 69
Lex Arabum de adulteris. 179
Lex Attiorum & Bactrianorum de furtis. 180
Lex Cyri de ædificatione templi Ieruschelemi. 87
Lex Getulorum de mulierum officiis. 17

Lex Parthorum de homicidiis & Parricidis. 180
Lex Persarum de matrimoniis. 178
Lex Serum. 177
Litterarum diuersarum inuentores. 31
Litterarum Græcarum Latinarumque origo ac incrementum. 193
Luna. 202 204

M.

MAGI dicti Babyloniorum historici. 26
Magia triplex. 252
Magia sine discrimine impura existimata, ob maculam ipsi à Zoroastro, siue Zarade, illatam, 91
Magiam impuram artem non esse. 253
MAGVS Persicè sacerdotem denotat. 85
Magi Persarum physicam colebant. 87 historias conscribebant, quæ in firmissimis arcibus custodiebantur. ibid.
Magorum purorum dogmata Persarum rex Hystaspes auxit ex Brachmanorum disciplinis. 89
Magia Persarum à Babyloniis manauit. 85
Magi Babyloniorum Persarumque philosophi posteriori æuo dicti, 85
Magi Persarum regis pædagogi. 88
Magorum dogmata. 258 viuendi ratio. ibid. prædictio de Chosroe Parthorum rege. ibid. de Sylla Romano. 259 & Ocho Persarum monarcha. ibidem.
Magorum auctoritas summa sub Artaxare. 92
Magiam impuram Osthanes primus Græciæ intulit. 92 vnde in Italiam, Galliam, Britanniam, Romam, propagata est. 93
Magia Asiatica. 252
Magia Africana. 260
Magia Europæa. 262 273 288 304
Magia Thessalica. 262
Magia Hetrusca. 273
Magia Romana sub Consulibus. 288 sub Imperatore, Nerone. 299 Iuliano. ibid. Heliogabalo. 300 Adriano. ibid. Valeriano. ibid. ea descripta ab Horatio. 301
Magiam Romanam hoc æuo Americani æmulantur. 301
Magia Gallica & Germanica. 304
Matris deorum in Syria sacrificia ab Abgaro rege sublata. 184
Medea pestem pellendi modum quemnam Græcis tradiderit. 56
Medea venefica. 99
Medicina Aegyptiorum. 55
Medicinam Aegyptiacam Græciæ intulit Aesculapius. 66
Medicus & chirurgus Chiron. 107
Memnon Tithoni filius magus, 86. eius arma in bello Troiano, ibidem. admiranda statua, ibidem.
Mercurij stellæ efficacia ex sententia Chaldæorum. 181
Moises Aegyptiacam philosophiam in Iudæam transtulit. 60
Mundus. 132
Musæ. 201

N.

NAIRES nobiles Indorum. 146
Natura. 131
Nauij Actij Romanorum Hetruscâ disciplinâ illustrissimi admiranda prædictio. 286
Nazaræi. 232
NEBO compositis Babylonicis nominibus præponitur. 152
Necromantiâ belli Ciuilis exitum inquirit Pompei filius. 266
Nilum Scythæ in occasu ex Atlante monte oriri dicunt. 199
Nili originem quinam indagarint. 49 De ea Aegyptiorum sententia, ibidem.
Nimrod Babylonici imperij auctor. 16
Niniuech. 17
Noach. 11
Nomina simplicia Assyria. 11
Nomina Chaldæorum simplicia 151 composita. 152
Nominibus Punicis BAL postponitur. 152
Nomen Babyloniorum imperatores ad imperium venientes mutabant. 153

O.

OENONE Asiatica heroina herbarum perita. 100
Orpheus. 234 eius inuenta. 237 libri. Ibid. qui ad nos adulterati peruenerunt. 238 vxoris eius mors. 239 ipsius mors. 241
Orpheus Aegyptiacam philosophiam Græciæ intulit. 69
OSIRI Aegyptiis multoculum denotat. 41
Osiris medicus. 57
Osiridis expeditio. 41
Orus medicus. 57

P.

PARTHORVM origo, quodque Scythicè exules denotent. 97
Parthorum lex de homicidis & parricidis. 180
Parthicæ fœminæ plures vnum habebant maritum olim. 180
Philosophia à Niniuech Babel translata. 19
Persarum Magia à Babyloniis manauit. 85
Persicè MAGVS sacerdotem denotat. 85
Persarum procerum nomina in S desinunt. 153
Persarum lex de matrimoniis. 178
Persæ dicti Magusæi. 178
Persarum Parthorumque fœdus funerandi ritus, à Zoroastro manauit. 254
Persæ externa scripta in suam linguam transfuderunt. 88
Persarum regis pædagogi. 88
Persæ coluere aquam & ignem. 254
Pestis auerruncus primus Iachenus Aegyptius. 55
Pestem pellendi ratio apud Græcos ante Acronem & Hippocratem. 55
Petosiris Agyptius astrologus. 47
Pharisæi. 217
Philosophiæ laus & incrementa. 6
Phœnices Abraham quid docuerit. 28. 30
Phœnices hieroglyphicas litteras acceperunt ab Abrahamo, alphabetarias ab Israëlitis. 31
Phœnix Atlas philosophus. 32
Phœnix Hog philosophus. 30

Phœnicis V ſonis inuenta. 187
Phœnicibus primùm Thaoinis filius myſticam relligionem tradidit. 192
Phœnicum fabuloſa Theologia. 185
Phœnicibus quid ſignet, MOTH THOPHASVNIN: 186 BAV. 178 BEELSANEN ibid. MISOR, SELECH. 188. IVD. 192 HOGE. 35. THOR. 35
Phœnicibus TZIDON piſcem ſignat. 32
Phœnicum impius litandi ritus. 192
Phœnicum Philoſophiæ propagatio. 33
Phœnicum philoſophia ab Eliſa in Africam tranſlata. 33
Phœnices in Africam philoſophiam tranſtulerunt. 32
Phœnix Cadmus Thebas in in Græcia condit. 35 ex Phœnicia in Græciam transfert diſciplinas. ibid.
Phœnicum moneta taurum repreſentans. 34
Phœnicum litteras è Græcia in Italiam tranſtulit Euander. 37
Phœnices Græcarum litterarum auctores. 31
Phœniciis litteris vſi Græci belli Troiani tempore 37
Phœnicum litteras proprias ſibi tandem vendicarunt Græci. 36
Phyſici Aegyptiorum. 49 eorum placita. 203
Phyſicam egregiè colebat Pythag. 73. &c
Phrygibus BECCOS panem denotat. 200
Plato Aegyptiacas diſciplinas Græciæ intulit 80
Pœnis DIDO viraginem ſonat. 33
Pompæi filius per Necromantiam belli Ciuilis exitium inquirit. 266
Principia. 129
Proteus Aegyptius aſtrologus. 47
Premmæ. 144
Pſammetichus Aegypti rex qua ratione hominum primos inuenerit. 199
Punicis nominibus BALI poſtponitur. 152
Pythagoras. 70. &c.
Pythagoræ dogmata à Brachmanis manarunt. 142

R.

RECABAEI. 121
Rhodo illata Aegyptiaca philoſophia. 63
Romanorum de Hetruſca diſciplina ſcripta, 286
Romana Magia ſub Conſulibus 288 ſub Imperatore, Nerone. 299 Iuliano. ibid. Heliogabalo. 300 Adriano. ibid. Valeriano. ibid. ea deſcripta ab Horatio. 301
Romanam Magiam hoc æuo Indi æmulantur. 301

S.

SACRIFICIA. 138
Sadducæi. 232
Samaritani. 232
Sammai. 217
Saturnus patrem Cœlum virilibus mutilat. 190
Saturni erga liberos crudelitatis fabula vnde manauerit. 56
Schelomo. 61 212 eius monumenta. 215
Scribæ. 217
Scytharum de antiquitate cum Aegyptiis

Aegyptiis contentio. 196
Scytharum in Asiam eruptiones. 96
Scytharum philosophi Tarabostesci. 52
Semiramidis monumētum. 155
Sesostris expeditio, triumphus 40
Seth. 9
Simandij Aegyptiorum regis bibliotheca. 53
Sol. 202
Solem Chaldæi & Assyrij coluerunt. 160 idem & Ieruschalaimis cultus. ibid.
Spiritus. 202
Stellæ. 204
Stella Christi natiuitatis nuntia. 170
Susorum conditor Tithonus: 86.
Synochæ. 130

T.

TAAVTVS. 188
Tarabostesci Scytharum philosophi. 52
Taurici sacrificij fabula vndè manauerit. 56
Teletarchæ. 130
Tempus. 235
Terra. 174
Thebas in Græcia condit Phœnix Cadmus. 35
Thessalica Magia. 268
THOR Phœnicibus bouem signat. 35
Thoth. 188
Thulis expeditio. 42
Tithonus Magus, Priami frater, Susorum conditor. 86
Troiani belli tempore Punicis litteris vsi Græci. 37
Trismegistus Noachi auditor ac pædagogus Chusi. 246 eius morientis sermones. 259
TZIDON piscem Phœnicibus signat. 32
Tzidon Saturni filius eloquentissimus. 390

V.

Viscum Druidæ maximi fecerunt. 308
Vitæ genus triplex. 4

Z.

Zodiaci duodecim signa quo modo Aegyptij deprehenderint. 205
Zoroaster rex Bactrianorum, philosophorum totius orientis parens. 28 120 eius oracula. 124
Zoroaster Persa, seu Zarades, Asiaticæ impuræ Magiæ auctor. 89. &c. 352 eius successores. 91

Erra-

Lector beneuole, priusquam legas, hæc menda emenda.

PAG. 5, 25. Hunc. Ibid. 26 oblatum. 6, 1. Acceptum tenellulum hunc. Ibid. 4. varias. 9. lin. vlt. vixit annos 308. anno. 25. 12. ostenderunt. 32, lin. vlt. angustis. 34, 29. percontaturus. 35, 27. imponit. 36, 30. atriores, 39, 9. vitam 39, 15. cura. Ibid. 25. ipsum iussit. Ibid. 27. liberatus est. Ibid. 29. donatus 48: 33. eosque tanquam sacrosanctos. 52, 19. conscribendæ. 56, 2. in locis dicatis. 57, 21. laminis. 57. 12. afflictisque restituendis celeritate haud inferior. 58. 1. forte. 60, 13. Philosophia elabitur: 61, 27. variæ. 72, 28. summum non tantum errorem committat. 78, 20. consenuit. 86, 10. *Auroram.* 91, 4, potio conficeretur. 96. 21. *huius gentis*, lege, *horum* Ibid. 25. vellet *Darius*. 98, 9 omnibus deinceps eos. 107, 20. ad curatione egentium. Ibid. 32. *a rege.* 110. 8. *Achillem etiam*, lege, *ac eum.* 141, 17. Carmani. 161, 10. duæ. 164, 13. continere. ignis verò violentiam minimè sustinere. 173, 6. præsertim planetæ qui Saturnus. 177, 7. cati. 178, 3. animatum aliquod. 180, 18. speciosos. 181, 3. extra fines. 182, 27. coactæ. suntque 183, 6. habuisse est. 188, 4. piscationem 191, 12. Alas. Ibid. 13. in volatum. 196. 7. Phœnices nec *Græcas* 205, 11. ex vniuersis. Ibid. 22. alias 21. 25. circumcidisset. Ibid. 10. peccauerat. 217, 20. interpretandæ. 229, 7. post eam. 242, 28. ac malum. 245, 1. Hæc. 255, 9. fabula. 281, 13. medullitus.

FINIS.



